DE CHARITONIS CODICE THEBANO.

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo philosophorum ordine Lipsiensi

rite impetrandos

scripsit

Franciscus Zimmermann

Mauricidorpiensis

Tubingia

Ex officina H. Laupp jr

1922.

Angenommen von der I. Sektion auf Grund der Gutachten der Herren Heinze und Körte.

Leipzig, den 28. Oktober 1919.

Der Prokanzellar
F. Rinne.

S. 1—53 erscheinen gleichzeitig im Philologus Bd. LXXVIII (N. F. XXXII) 1922 S. 330—381.

Druck von H. Laupp jr in Tübingen.

Parentibus carissimis.

Praefatio *).

Charitonis fabulam traditam esse totam unico codice Florentino saeculo XIII vel XIV p. C. n. intricatiore ac minutissima scriptura exarato constat inter omnes. Atque cum neque editores neque viri critici in recensendo illius opusculo posteriorum saeculorum sermonem satis respexissent aut observassent, sicuti ratio postulabat, genus dicendi auctoris proprium, utpote ab Atticorum usu multis variisque modis abhorrens, accidit, ut codex ille Florentinus ab omnibus viris

---

*) **Index librorum.** I. Editiones. **H.** Erotici scriptores ex nova recensione G. A. Hirschig. Parisiis 1856. — **hr.** Erotici scriptores Graeci rec. R. Hercher. I. II. Lipsiae 1858/1859, cuius editionis paginae et versus citantur. — Χαρίτωνος τῶν περὶ Χαιρέαν καὶ Καλλιρρόην λόγοι η̄ J. Ph. D'Orville publicavit. Amst. 1750. — **D R** Charitonis Aphrodisiensis de Chaerea et Callirrhoe amatoriarum narrationum libri VIII. ed. II. J. Ph. D'Orville publicavit etc. J. J. Reiske latine vertit. Lipsiae 1783. Quae siglis D et R notantur ad hanc editionem spectant. — **Jac.** Achillis Tatii Alexandrini de Leucippes et Clitophontis amoribus libri VIII. ed. Fr. Jacobs. Lipsiae 1821. — Heliodori Aethiopicorum libri decem ab J. Bekkero recogniti. Lipsiae 1855, cuius editionis paginae et versus citantur. — Longi Pastoralia graece et latine ed. E. E. Seiler. Lipsiae 1835. — **Loc.** Xenophontis Ephesii de Anthia et Habrocome Ephesiacorum libri V ed. A. E. Liber Baro Locella. Vindob. 1796.

II. Philologorum opera ad Charitonem pertinentia. **Abr.** Abresch, Fr. L.: Dilucidationes Thucydideae. Campis 1755. — **Cald.** Calderini, Aristide: Caritone di Afrodisia: Le avventure di Cherea e Calliroe. Romanzo tradotto da Aristide Calderini. Torino 1913. — **Cob. V. L.** Cobet, C. G.: Variae lectiones. ed. II. Lugd. Bat. 1873. caput VIII p. 169—172. — **Cob. VIII.** Eiusdem „Annotationes criticae ad Charitonem.“ Mnemos. VIII (1859) p. 229—303. — **Gasda**, Aug.: Quaestiones Charitoneae. Diss. Olesnae 1860. — **Heibg.** Heibges, Stephanus: De clausulis Charitoneis. (cf. praef. sub fin. p. 333). — **hr 1858** Hercher, Rud.: Zur Litteratur der griechischen Erotiker. Fleckeisens Jahrbücher IV (1858) p. 153—165. — **Jak.** Jakob, Joseph: Studien zu Chariton dem Erotiker. Programm Aschaffenburg 1903. I. Teil. — **Nab. VI.** Naber, S. A.: Adnotationes criticae ad Charitonem. Mnemos. n. s. VI (1878) p. 190—214. — Nab. XXIX. Eiusdem: Ad Charitonem. Ibid. n. s. XXIX (1901) p. 92—99 et p. 141—144. — **Rich.** Richards, H.: Notes on the erotici Graeci. The Classical Review XX (1906) p. 21/3. — **Schm.** Schmidt, F. W.: Kritische Studien zu den griechischen Erotikern. Fleckeisens Jahrbücher CXXV (1882) p. 186—194. — Wilamowitz-Moellendorff, U. von

doctis minimi aestimaretur. Rem sese ita habere potest cognosci cummaxime ex eo, quod verborum contextus ab Hercheris, Cobetis, aliis spissa coniecturarum turba est obrutus. Floren-

G. G. A. 163 (1901) p. 30—34. — W Wilcken, U.: Eine neue Romanhandschrift. Archiv für Papyruskunde und verwandte Gebiete I (1901) p. 227—254.

III. Philologorum opera ad artem grammaticam pertinentia. **Asser**, G. De Longi sophistae usu grammatico. Particula I. Diss. Vratisl. 1873. — **Bernh.** Bernhardy, G.: Wissenschaftliche Syntax der griechischen Sprache. Berl. 1829. — **Bl.-D.** Blaß, Fr.: Grammatik des neutestamentlichen Griechisch, 4. Auflage. Besorgt von A. Debrunner. Göttingen 1913. — **Cr.** Croenert, Guil.: Memoria Graeca Herculanensis Lips. 1903. — **Du Mesnil**, Adolf: Grammatica, quam Lucianus in scriptis suis secutus est, ratio cum antiquorum Atticorum ratione comparatur. Programm Stolp 1867. — **Fritsch**, Jos.: Der Sprachgebrauch des griechischen Romanschriftstellers Heliodor und sein Verhältnis zum Attizismus. Progr. Kaaden I. 1901. II. 1902. — **Kr.** Krueger, K. W.: Griechische Sprachlehre für Schulen I_1^5 (1875) $_2^6$ (1891) II_1^5 (1879) $_2^4$ (1894) Register ^{5} (1877) besorgt von W. Pökel. — **K.-B., K.-G.** Kühner, R.: Ausführliche Grammatik d. griech. Sprache I. 3. Aufl., besorgt von Fr. Blaß 1. Bd. Hannover 1890. 2. Bd. 1892. II. Teil 3. Aufl., bes. von B. Gerth, 1. Bd. 1898. 2. Bd. 1904. — **Lob.** Lobeck, Chr. Aug.: Phrynichi eclogae nominum etc. Lips. 1820. — **Mann**, Ewald: Ueber den Sprachgebrauch des Xenophon Ephesius. Progr. Kaiserslautern 1896. — **Mays.** Mayser, Edwin: Grammatik der griech. Papyri aus der Ptolemäerzeit. Lips. 1906. — **Meisterh.** Meisterhans, Karl: Grammatik der attischen Inschriften 3. Aufl. Berl. 1900. — **Nachm.** Nachmanson, Ernst: Laute und Formen der Magnetischen Inschriften. Uppsala 1903 (cf. praef. sub fin. p. 333). — **Rad.** Radermacher, L.: Neutestamentliche Grammatik. — **Rad. Dem.** Demetrii Phalerii qui dicitur de elocutione libellus rec L. Radermacher Lips. 1901. — **Rohde, Luc.** Rohde, Erwin: Ueber Lucians Schrift Λούκιος ἢ ὄνος. Leipzig 1869. — **S** Schmid, Wilhelm: Der Atticismus (cf. praef. sub. fin. p. 333.) — **Schmidt, Jos.** Schmidt, Guil.: De Flavii Josephi elocutione observationes criticae. Fleckeisens Jahrb. Suppl. XX (1894) p. 341—550. — **Schw.** Schweizer, Eduard: Grammatik der Pergamenischen Inschriften. Berl. 1878. — **Sex.** Sexauer, H.: Der Sprachgebrauch des Romanschriftstellers Achilles Tatius. Diss. Karlsruhe 1899. — **Sophokles**, E. A: Greek Lexicon of the roman and byzantine periods. New York 1888. — **Thes.** Thesaurus linguae Graecae ab H. Stephano constructus edd. G. et L. Dindorf. — **Veitch**, W. Greek verbs irregular and defective. 4. ed. Oxford 1879. — **Wilke.** Gottl.: Clavis Novi Testamenti philologica. Lexicon Graeco-latinum in libros N. T. auctore C. L. W. Grimm. ed. IV. Lips. 1903. — **Win.** Winer, G. B. Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms. 7. Auflage Leipzig 1867. — **W. S.** G. B. Winers Grammatik des neut. Sprachidioms. 8. Aufl., besorgt von P. W. Schmiedel. Göttingen 1894.

Cetera suo loco citantur. Siglis F et Th codices Florentinum et Thebanum significavimus. Asteriscus (*) adhaeret eis locis, qui immerito a novissimo editore immutati sunt, crucem (†) affiximus eis, qui sine ulla dubitatione sunt corrigendi. Ubi clausulas tractavimus, usi sumus tabula, quam Heibges p. 48/49 congessit; atque non solum quoties clausula, de qua res est, compareat in universum, sed etiam quot in libro octavo viderit Heibges indicavimus.

tinas lectiones qui accuratius examinaverit, facile intelleget saepius quidem corrigendum esse illum codicem, non tamen tot locis, quot factum est ab editoribus aut ab aliis propositum. Id quidem certo certius potest dici rationes, quas viri docti huius aetatis sunt ingressi, utpote falsas plane esse reiciendas, quam rem alias amplius exponere mihi est in animo. Quae cum ita sint, de totius narrationis compositione item diffisum esse memoriae Florentinae vix est, quod commemorem. Atque postquam anno p. C. n. 1898 repertus est codex Thebanus, qui appellatur, saeculo VII vel VIII p. C. n. conscriptus, non est mirum primum editorem communi opinioni in universum accessisse. Etenim cum nonnullis octavi libri, de quo solo agitur*), locis fragmentum Thebanum, nonnullis aliis codex Florentinus pleniorem verborum praebeat contextum, putabat Wilcken textum integrum neutra memoria servatum esse, immo utrumque codicem narrationem continere a nescio quo redactore in angustum coactam. Inde peritissimus ille papyrorum editor est ausus reficere, quantum potuit, textum eius octavi libri partis, quae duobus tradita est codicibus. Praeterea idem vir doctus commendavit (cf. pag. 252), qua via coeperat, eadem totam perlustrare fabulam, sperans fore ut contingeret, ut aliis locis item recognosceretur manus redactoris. At brevi post, quam commentariolum de palimpsesto Thebano conscriptum Wilcken publici iuris fecerat, alterum fragmentum in lucem est protractum, papyrum dico Caranitanam, saeculi II p. C. n., quae tribus columnis quarti libri particulam praebet**). Et decem annis post fortuna favit Charitoni tertium, nam altera papyrus saeculi II vel III p. C. n. detecta est Oxyrhynchi alterius libri columnas duas continens***).

*) Cum singulas res optime exposuerit Wilcken, qui conferendus est in Arch. für Papyruskunde I (1901) p. 227 sqq., sat est memorare novum illud fragmentum brevi post, quam repertum est, misera sorte deperditum pertinere inde ab Hercheri pag. 148, 19 φησὶ Διονύσιος usque ad pag. 149, 31 Χαιρέας ἤνυσε τὸν et ab pag. 151, 13 Ἑρμοκράτης, cui verbo nonnulla antecedunt a codice F magis recedentia (cf. infra pag. 361 sq.) usque ad pag. 152, 27 ἐκ πλοῦ.

**) Cf. Fayûm Towns and Their Papyri by P. Grenfell, S. Hunt, G. Hogarth. Lond. 1900. Nr. 1 pag. 74—82. Quae papyrus exhibet verba inde ab 72, 4 πλεο]νεκτῶν usque ad 74, 27 ἐπώλησαν pertinentia multis lacunis interrupta.

***) Cf. The Oxyrhynchus Papyri Part VII. ed. S. Hunt. London 1910. Nr. 1019 pag. 143—146. Incipit haec papyrus voce φόφ]ου pag. 31, 1

Ut statim dicam, quae sunt gravissima: congruit utraque papyrus adeo cum Florentini codicis verbis, ut nemo non videat quasi primo obtutu non habere nos, quod nimis diffidamus memoriae Florentinae. Etsi non defuerunt, qui non adstipularentur Wilckenio*), tamen post eum nemo diligentius inquisivit, quae ratio intercederet inter codices Florentinum et Thebanum. Quae quaestio cum plurimum valeat non solum in diiudicanda memoria sed etiam in illustrando stilo Charitonis, equidem mihi proposui illos duos codices inter se comparare, codicum discrimina perpendere, quid bonae frugis modo ex huius modo ex illius depromi queat memoria, quantum fieri potest, exponere.

Quo in opere conficiendo magnum cepi fructum ex indice verborum Charitoneorum accuratissimo, quem ipse congessi. Accedit, quod magna feci lucra cum e Schmidii celeberrimo libro, qui inscriptus est: „Der Atticismus in seinen Hauptvertretern von Dionys von Halikarnaß bis auf den zweiten Philostratus“ 4 Voll. Stuttgart 1887 ff., tum e Radermacheri, cui nomen est: „Neutestamentliche Grammatik. Das Griechisch des Neuen Testaments im Zusammenhang mit der Volkssprache“ Tübingen 1911. Neque praetermittam dissertationem a Stephano Heibges „De clausulis Charitoneis“ (diss. Monast. 1911) conscriptam, quam hic illic in rerum mearum usum contuli.

Tractatio.

Prima discrepantia quae occurrit est haec:

† 148,21 ἠπίστατο οὐδέν F [οὐ]-
δὲ[ν ἠπί]σ[τατο Th I 4/5

Utra verborum collocatio sit genuina, non facile diiudicatur[1]) propterea quod utriusque collocationis numeri apte cadunt (de

(ed. Herch.) atque finitur voce ἠπίστατο pag. 32, 18 omissis verbis quae sunt inter ἡ φωνὴ pag. 31, 20 et ἀλλὰ 31, 32 posita. Quid de papyrorum memoria sentiamus, nostrae commentationi occasione data inseruimus; at amplius de ea re alio tempore dicemus.

*) E numero eorum, qui Wilckenio obstabant, imprimis nominandus est Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff, qui summa cum sagacitate recta adumbravit paucis verbis in Goett. Gel. Anz. 163 (1901) p. 32—34. Post hunc dubitabat de illius sententia W. Schmid in Burs. annal. vol. 108 (1902) pag. 276 atque Calderini p. 222, qui tamen Florentini codicis memoriam minoris facit.

[1]) Haeret inter dubia W cf. p. 253.

elisione ἠπίσταт᾽ οὐδέν cf. Heibg. p. 51 sq., qui nostrum citavit locum). Tamen Thebanam lectionem praeferam[2]), quae magis conspiret cum Charitonis consuetudine quam Florentina, ut docent multa exempla[3]). e. g. cf. 78, 25 οὐδὲν ἔπαθον 83, 4 οὐδὲν δυνήσῃ χεῖρον παθεῖν 93, 13 οὐδὲν εἰδυῖαν 102, 16 οὐδὲν ἀπεκρίνατο; * 8, 12 ἡ γυνὴ μηδὲν ἐπινοοῦσα τῶν γεγονότων[4]) 15, 26 μηδὲν ἀδικοῦσα 31, 6 μηδὲν ταραχθῇς; praeterea cf. 74, 15. 110, 30. 114, 32. 145, 7. 153, 2. 4.

† 148, 22 ἐδόκει Καλλιρρόην παρεῖναι F ἐδόκει καὶ Καλλιρόην παρεῖναι Th. I 7/8 Particulam καί a Florentino omissam optime quadrare ad loci sententiam nemo negabit. Accedit quod multis aliis locis idem usus deprehenditur, quem satis novimus e Novi Testamenti scriptis cf. Bl.-D. § 442, 12 p. 256. Nonnullos iuvat apponere locos quibus viri docti iniuste offenderunt: * 17, 13 καλός γε λῃστὴς φοβηθεὶς καὶ γυναῖκα (hr. del. καί) * 33, 19 πιπράσκει καὶ ταλάντου τὴν βασιλέως χρημάτων ἀξίαν (hr. del. καί, at cf. Cald. 273, 3) † 73, 6 καὶ τὸν οἰκέτην ἀηδῶς ἐθεάσατο (καὶ deest in F; apte suspicati sunt editores Britannici illud exstitisse in Pap. Fay. II 30)[5]) * 94, 17 θάρρει, δέσποινα, καὶ

[2]) Thebani codicis clausula a nobis hoc loco prolata rarior est C, 1: 6,7 %; VIII: 57ies) quam Florentini (A, 1: 22,2 %; VIII: 195ies); atque disertis verbis affirmem elocutionem, stilum, alia saepius magis valere in textibus recensendis quam numeros. Itaque maxime cavendum est, ne numerorum gratia memoria mutetur aut lectio minus probabilis commendetur.

[3]) Si excipias 103, 19 ὀνειδίσῃς δὲ μηδέν et [illegible], 10 εἶδε δὲ οὐδὲν ἕτερον ἢ χρυσὸν καὶ νεκρούς (at 91, 22 οὐδὲν ἕτερον διελάλουν ἢ τὴν δίκην scriptum invenimus) omnibus locis collocatio verborum supra indicata exstat. Verum † 132, 16 ὀλίγον τε ἐπενόουν οὐδέν (sic cum Cob. VIII 231 scribendum puto pro ἐπένθουν ἢ) propterea nihil ad nos facit, quod ibi Thuc. II 8, 1 imitatus est. Jak. 54 ἐπενόουν Cobeti probans ἢ particulam conservat dicens Charitonem Thucydidis locum non intellexisse. Si respexisset Luc. Nigr. 5 καὶ ὅλως μικρὸν οὐκέτι ἐπινοῶ; somn. 13 οὐδὲ ἀνδρῶδες οὐδὲ ἐλεύθερον οὐδὲν ἐπινοῶν talequid ille non commendasset; cf. etiam Luc. Alex. ed. Jacob [Colonis 1828] p. 3.

[4]) Hercherus non est laudandus qui est secutus R scribentem ὑπονοοῦσα, quo verbo noster nusquam usus est. Immo adhibēt Charito in tali re verbum ὑποπτεύειν cf. 7, 14. 18, 10. 43, 21. 65, 8. 19. 66, 1. 106, 5. 122, 24. 136, 1. Praeterea notio „mente agitandi, cogitandi“ multo melius cum Callirhoes moribus congruit quam notio „suspicandi.“ Item accipiendum est verbum ἐπινοεῖν in Polyb. IX 3, 7 πρὸς οὓς οὐδ᾽ ἐπινοήσαντες οἷοί τ᾽ ἦσαν ἀντοφθαλμεῖν et in Luciani locis modo citatis nec non in Charitonis † 132, 16 a Cobeto emendato. ἐπίνοια 43, 1 similem notionem praebet.

[5]) Nec aliter res se habet in † 73, 17 καί τις ἤδη καὶ τοῦ σώματος ἁπτόμενος αὐτοῦ. cf. pap. Fay. II 46. Edd. Britannici p. 81 ἦν pro καὶ proposuerunt non recte.

Χαιρέᾳ (hr. recepit Ri καὶ χαῖρε. at cf. D 481 ad 116, 7) * 113, 21 τῶν εὐαγγελίων ἀμείψεσθαι καὶ τὸν εὐνοῦχον ὑπισχνουμένη (καὶ del. hr.) 115, 16 ἐδεδοίκει δὲ μὴ καὶ πρὸς ἐκείνην Καλλιρόη κατείπῃ τοὺς λόγους (Cob. VIII 295 flagitavit καὶ μὴ) 121, 32 πολλὰ μὲν οὖν φέρειν καὶ πόλεμον ἄδηλα (Cob. VIII 297 articulum τὸν desiderat[6]) quem loco καὶ particulae inseri iussit) * 122, 8 ἔχαιρε δὲ ἐλπίζων ὅτι καὶ Καλλιρόη μένει (deletum καὶ hr. praef. pag. XIII revocavit) * 130, 27 μετὰ πάσης ἀδείας καὶ γυναῖκες ἐνταῦθα διῆγον (hr. scripsit αἱ γυναῖκες at cf. D 576 ad 161, 9 [7])). Ex quibus exemplis dilucide potest cognosci Charitonem particulam καὶ persaepe adhibuisse, ut aliquid eminentius faceret[8]). Respicientibus tandem nobis locum 93, 9 ἐπεὶ τοίνυν ὡρίσθη καὶ Καλλιρόην παρεῖναι, iam non erit dubium, quin W recta viderit cf. p. 253.

Quibus expositis videamus quae recta sit orthographia heroines nominis. Codicis Florentini scriba Chaereae uxori passim geminam, Thebani contra atque papyrorum librarii[9]) simplicem attribuerunt litteram ρ. Non deesse viros criticos qui alteram expungendam putarent haud ignoro, tamen testimonia e titulis temporum posteriorum attulit hucusque nemo[10]). Atque habemus re vera duos titulos aetatis imperatorum Romanorum, qui rectam servaverunt formam, cf. I. G. XIV 1727 et

[6]) Substantiva abstracta articulo saepius carent, cuius rei exempla attulit S. IV 65.

[7]) Nomina in numero plurali posita haud raro abiecerunt articulum cf. 6, 25. 20, 19. 32, 4. 75, 28. 150, 6 (cf. etiam S. IV 65). Quae cum ita sint, loci eiusdem generis non sunt mutandi cf. 46, 29 μετὰ φίλων καὶ συγγενῶν, quamquam 47, 29 articulus comparet (Cob. VIII 288 ⟨τῶν⟩) 54, 30 καὶ γυναῖκες (Gasda 27 αἱ pro καὶ) 70, 32 ἔπαθόν τι καὶ παῖδες (absurdum est Naberi (202) ⟨οἱ δὶς⟩ παῖδες. * 75. 27 γνωρίμους (hr. ⟨τοὺς⟩ γν.) 92, 9 ὑπὸ φίλων καὶ συγγενῶν (Cob. VIII 288 ⟨τῶν⟩) 101, 7 εὐνοῦχοι (Nab. 202 οἱ εὐνοῦχοι) * 107, 29 ἐθυμιᾶτο πρόθυρα (hr. ⟨τὰ⟩ πρ. fortasse propterea quod 7, 29 τὰ πρ. legimus scriptum; nil est mutandum).

[8]) Atque conferri possunt loci 48, 32. 105, 22. 118, 24. 145, 22; praeterea cf. infra pag. 340; 357, 68.

[9]) Cod. Theb. 9ies (col. I 8. 28, III 3. 12, IV 24, V 22, VIII 8. 22. 26) Pap. Fay. 5ies (col. I 11, II 15. 50, III 20. 50) O. P. 1019 quater (col. I 2. 11. 25; II 32).

[10]) Cf. U. de Wilamowitz G. G. A. l. c. p. 32, Not.; Croenert Arch. f. Papk. I 529; Schmid in Burs. annal. 108 (1902) p. 276, not.; Garin in Stud. Ital. XVII (1909) p. 453, not. 2; Fuhr B. ph. W. XXXI (1911) p. 894, qui primus titulum respexit (Ἀρχ. ἐφ. 1909 p. 244 publici iuris factum), sed fugit illum v. d. titulum citatum esse saeculi IV a. C. n.); Muenscher in Burs. annal. 170 (1915) p. 208.

2007.[11]). Accedit quod complurium auctorum eorundem temporum codices optimi simplicem exaraverunt caninam[12]). Cum ex eis evadat, ut recta sit scriptura Καλλιρόη, quae ubique restituenda est obstantibus Wilckenio[13]) Heibgesioque[14]), in nostra commentatione breviorem formam semper invenis scriptam.

148, 24/5: ἐπεὶ δὲ εἰσῆλθε, διηγήσατο αὐτῷ βασιλεὺς πάντα τὰ γεγενημένα F	ἐπεὶ δὲ ἦλθεν, διηγήσατο αὐτῷ βασιλεὺς ἐξ ἀρχῆς ἅπαντα τὰ γεγενημένα Th I 12—16

Iam W praetulerat verbum compositum εἰσῆλθε p. 249, quem sequi non dubito collatis locis 103, 20. 137, 10. 138, 17. 152, 17. Verba ἐξ ἀρχῆς[15]), quae in codice Th servata invenis, cum W recipienda sunt, quippe quae commode quadrent ad loci sententiam. Dionysius enim, qui maximo Callirhoes studio ardet, avide avet audire res gestas omnes ab ultimo initio repetitas. Simili modo de Chaerea p. 139, 8 dicitur καὶ πάντα ἀκριβῶς διηγήσατο, nam Callirhoes magni interest scire, quas res gesserit Chaereas. At multo aptior est locus 153, 1, ubi Charito populum cupidissimum audiendi omnia singula, quae acciderunt, Chaereae eiusque uxori, dicentem facit haec: ἐρωτῶμεν[16]), ἀνω-

[11]) Quorum in societatem venit nummus iam a Buttmanno in „Mythol.“ I p. 239 citatus, quem hodie invenis in „Catalogue of Greek Coins. The Seleucid Kings of Syria“ edited by R. S. Poole. Lond. 1878 p. 41, Nr. 73. Saepissime in epigrammatibus eadem comparet scriptura.

[12]) Cf. Dion. Hal. Antiqu. I 27. 62. Apollod. bibl. p. 82, 25. 132, 9. 10. 17. 22, 147, 2 (et Pediasim. p. 257, 6) ubi Wagner passim contra codd. auctoritatem gemellam edidit ρ. Pausan. VII 21, 1. 3. 4. 5, VIII 24, 9. 10, Ps.-Aeschin. epist. X 3. 4. 5, ubi Drerup codd. BVϛ sequi debuit cf. Fuhrium l. c.

[13]) Cf. Arch. f. Pap. I 240, 1 et pag. 253 sq.

[14]) A quo p. 83 clausularum respectu gemellam defensam esse litteram iam refutaverant Fuhr et Muenscher ll. cc.

[15]) De locutione ἐξ ἀρχῆς cf. S. II 238.

[16]) Erit operae pretium adscribere duo ad illum locum, quae notatu videntur esse digna. Imprimis est illustranda verbi notio, qua lapsus est Augustus Gasda 38. Etenim inest nostro loco verbo ἐρωτῶμεν vis rogandi non interrogandi. Eandem notionem potes invenire in N. T.[1] et LXX ll. scriptis cf. Thes. vol. III p. 2081 D Removenda est et altera Gasdae dubitatio, qui putet formam ἐρωτῶμεν „a sciolo aliquo interpolatam esse“. A scriptoribus, qui usi sunt sermone volgari, orationem indirectam, quae vocatur, saepissime evitatam esse scimus, quod idem cadit non solum in Atticistas (Rad. 130) sed etiam in Charitonem. Est igitur non mirum etiam id, quod ab aliquo rogatur, non indirecta

θεν ἄρξαι, πάντα ἡμῖν λέγε, μηδὲν παραλίπῃς. Etiam ampliorem formam ἅπαντα breviori πάντα praeferam, quod illa multo facilius in breviorem potuit abire quam haec in ampliorem.

† 148, 25 ἐν ἐκείνῳ δὲ τῷ καιρῷ F ἐν ἐκείνῳ δή τῷ καιρῷ Th I 16/17

Considerantibus nobis Dionysium, quamquam brevi ante a rege Persarum certior est factus sibi Callirhoen in perpetuum ereptam esse, tamen sibi constitisse eo ipso momento temporis, quo id audivit, Thebana lectio magis arridet quam Florentina, nam δή particula verba ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ significantius premuntur quam δέ. Eadem vis inest illi particulae 36, 13. † 72, 30. [17]) 107, 14 atque conferendus est S IV 551. Ceteroquin in codice F δή saepius cum δὲ permutatum est e. g. † 20, 15 ubi hr. verum vidit (conferri potest 19, 23 ὡρμίσαντο δή . . .) neque praetermittam † 32, 9, quo loco codicis οἷα δὲ in οἷα δή corrigendum esse apparet ex O. P. II 42.

† 148, 26 φρόνησιν Διονύσιος ἐπεδείξατο καὶ παιδείαν ἐξαίρετον F	μάλιστα Διονύσιος ἐπεδείξατο παιδείαν τε καὶ φρόνησιν ἐξαίρετον Th I 17/20

Florentini cod. verba per se sana esse nemo negabit. Tamen quae in codice Th tradita sunt cum Charitonis stilo magis convenire statim videbimus. De adverbio μάλιστα, quod deest in cod. F, recte iudicavit W 250. Conferam cum nostro loco 111, 8 μάλιστα δὲ κυνηγεσίοις ἐξαιρέτως χαίρεις [18]). Accedit quod Thebani clausula φρόνησιν ἐξαίρετον (C 1, 6,7% VIII: 57ies) melior est quam Florentini παιδείαν ἐξαίρετον (C 8, 3,9% VIII: 34ies).

---

oratione reddi sed directa cuius rei magnus exstat exemplorum numerus Charitoneus cf. 35, 10 δέομαί σου, φησίν, ὦ δέσποτα, συγχώρησόν μοι τὴν ἐμαυτῆς τύχην σιωπᾶν; similiter 36, 7. 38, 12. 39, 1. 51, 32. 75, 10. 97, 7. 114, 12. 114, 31. 145, 17 (ubi Nab. 199 falso proposuerat ⟨ἵνα⟩ μηδὲν ὀργισθῇς) 156, 28. 157, 11. Aeque bene nostro loco dictum est ἐρωτῶμεν ἄνωθεν ἄρξαι, neque ἐρωτῶμεν scioli est.

[17]) Loco citato codicis F τοσοῦτον iam Abr. 661 in τοῦτον emendaverat quod rectum esse testis est pap. Fay. II 17 et locis 13, 2. 62, 11. 143, 23 probatur; at δή codicis est lectio, quod fugit edd. Brit. p. 81.

[18]) Simili modo deest in codice F μᾶλλον † 32, 13 ut docet O. P. 1019 col. II 50 sq., qui locus conferri potest cum 153, 8 τὸ δὲ μὴ ῥηθὲν ὑπόνοιαν ἔχει χαλεπωτέραν ἐξ αὐτῆς τῆς σιωπῆς.

† 148, 27/28	ὥσπερ γάρ τις κεραυνοῦ πεσόντος πρὸ τῶν ποδῶν αὐτοῦ μὴ ταραχθείη, κἀκεῖνος F	ὥσπερ γάρ εἴ τις κεραυνοῦ πεσόντος πρὸ τῶν ποδῶν αὐτοῦ μὴ ταραχθῇ, οὕτως κἀκεῖνος Th I 21—24

Optativus ταραχθείη quomodo explicandus esset nemo dixit neque quisquam dicere potest, cum Florentini verba sine dubio corrupta sint. Quod cum sentiret, Cobetus haud inepte proposuit scribendum esse ταραχθείς [19]), quod accipere non dubitarem, nisi praesto esset Thebani codicis auxilium: εἴτις μὴ ταραχθῇ. Quae verba re vera e Charitonis fluxisse calamo mihi quidem ex eo apparet, quod item εἰ construitur in cod. Florentini altero loco (p. * 118, 4 εἰ δὲ μὴ πεισθῇς, ubi hr. Jacobsii coniecturaram ἢν (pro εἰ) non debuit probare [20])). Atqui notum est vel a veteribus scriptoribus eandem constructionem hic illic esse admissam (cf. Bernh. 399. G. Hermanni opusc. vol. I p. 275 sqq. Kr. 54, 12, 3). Quid? Num nostrum est, quae apud auctores priscorum temporum raro, verum in communi, quae vocatur, dialecto saepius occurrisse constat, e textibus coniectura eicere? Minime. Praeterea satis compertum habemus in sermone volgari antiquiorum optativum magis magisque evanuisse, quod idem proprium est sermonis Charitonei [21]). Postremo notatu dignum existimo utroque loco a me citato exstare aoristi coniunctivum quam eandem observationem fecit Rad. l. c. in

---

[19]) Participium cum particulo ὥσπερ coniungi, cuius rei e nostro duo affert exempla Cob. VIII 302, novimus e N. T.ⁱ scriptis cf. Bl.-D. § 425, 3 p. 246. Post pronomen τὶς a Beckio adiectivum e. g. γενναῖος vel ἀνδρεῖος frustra esse desideratum testis est codex Th.

[20]) Ceteroquin Charito forma ἢν i. e. ἐάν nusquam est usus; immo semper ἄν invenis scriptum. — Eiusdem constructionis exempla e scriptoribus temporum inferiorum attulerunt S. I 244 (et cf. Du Mesnil 22) IV 85. Bl.-D. § 376 p. 213. Rad. 162. Itaque restituenda est codicum memoria in A. T. * 108, 12 εἰ — γένηται, quem ad locum cf. Nab. Mnemos. n. s. IV 329 et Sex. 35.

[21]) Cuius rei, de qua infra amplius agendum erit cf. pag. 351, 55, unum exemplum afferre mihi liceat. Est mos apud veteres scriptores, ut in enuntiatis relativis a tempore historico pendentibus optativum adhibeant cf. Kr. 54, 7. Charito contra pag. * 31, 28 scripsit sic: τὸ πλῆθος οὐκ εἶχεν ὅ τι πράξει (ab hr. in πράξειε depravatum). Idem usus notus est e N. T.ⁱ scriptis cf. Bl.-D. § 368 p. 208. Praeterea cf. X. E. 395, 2 (et Mann. 29) ὅ τι πράξει βουλευόμενος et Hel. 149, 15 (et Fritsch I 33) πνεῦμα . . . τοὺς λῃστὰς ἐνεπεπλήκει . . . ὅπῃτε χρήσονται τῷ μεγέθει τῆς νεὼς ἀπείρως ἔχοντας.

titulis. His expositis nequeo accedere opinioni Wilckenii putantis scribae culpae attribuendum esse coniunctivum ταραχθῇ (cf. p. 249).

Atque alterum est breviter absolvendum. Coniecerat recte Hr. οὕτω, quod scribae neglegentia perisse in codice F demonstratur memoria Thebana. At οὕτως legimus scriptum sequente consona ut aliis sex locis in codice F cf. 49, 5. 86, 11. 89, 8, 93, 16. *94, 19. 128, 16 Cuius usus cum exempla exstent in titulis (cf. Nachm. 112), in papyris (Cr. 142. Mays. 242 sq.), in codicibus (cf. Cr. l. c. K.-B. I 296 sq.), non est, quod ad scholasticas regulas scribamus οὕτω. Itaque et *94, 19 οὕτως retinendum erat [22].

148, 29.

ἀκούσας λόγων σκηπτοῦ βαρυτέρων	ἀκούσας | λόγους σκηπτοῦ βαρυτέρους Th I 26/7

Etsi concedendum est a Charitone verbum ἀκούειν multo saepius cum accusativo construi quam cum genetivo — ut in N. T^i. scriptis (cf. Rad. 98) [23] — tamen nostro loco secundum casum solum rectum esse apparet ex eo, quod omnibus eis locis, quibus verbum ἀκούειν coniunctum est cum plurali λόγοι, idem verbum constructum invenis cum genetivo non cum accusativo [24]. Locis 62, 11 et 143, 23 iam a W 249 citatis addere possumus 81, 8. 93, 31. 97, 9.

148, 30. ὅτι Χαιρέας Καλλιρόην εἰς Συρακούσας ἀπάγει F	ὅτι Χαιρέας ἀπάγει Καλλιρόη(ν) [εἰς Συρακούσας] Th I 28—II 1.

Thebani cod. lectionem longe anteponendam esse Florentini doct. Heibges p. 82 diserte exposuit, nam novae lectionis numeri aptius cadunt (εἲς Συρακούσας B 1, 15,8 % VIII: 130ies at εἲς Συρακούσας ἀπάγει B 11, 0,5 % VIII: 6ies).

[22]) At aliis 6 locis οὕτω invenis cf. 51, 18. 99, 6. 107, 14. 114, 28. 118, 28 149, 20. Restat, ut affirmem in pausa bis οὕτως ante consonam (95, 8 145, 14) semel ante vocalem (150, 22) me vidisse. Verum plenior forma multo praevalet (17 : 6) ut in N. T.i scriptis cf. W. S. § 5, 28 b.

[23]) Accusativum 38ies at genetivum 20ies inveni.

[24]) Iis quae exposuimus non repugnat 72, 30 τοῦτον δὴ τὸν λόγον — ἀκούσας. Atque cf. 22, 11. 53, 21. 85, 15.

149, 1

Καλλιρόην ἄν ἀπέδωκά σοι, Διονύσιε F	καὶ Κ[αλλιρόην ἀπέ]δωκα ἄ[ν σοι, Διονύ]σιε Th II 8/9

Cum aliquantum gravitatis insit hoc loco usui nominis proprii Callirhoes, verborum collocatio, quam praebet codex F, sane genuina est. Ceteroquin iam veteres scriptores ἄν particulam sic posuerunt cf. KG. I 245 [25]). At καί particulam male omisit codex F, qua de re conferas, quod supra pag. 335 dictum est [26]).

149, 2

πᾶσαν γὰρ εὔνοιαν εἰς ἐμὲ καὶ πίστιν ἐπεδείξω F	πᾶσαν [γὰρ εὔνοι]αν καὶ πίστιν [ἐπε]δείξω Th II 10/11

Si cernere velis, quam recte legantur in codice F verba εἰς ἐμὲ, adeundi sunt loci hi 144, 23: πάντα πεποίηκας εἰς ἐμὲ δικαίως; 156, 20: καὶ γὰρ εὔνοιαν ἐπεδείξαντο καὶ πίστιν ἀληθεστάτην πρὸς ἡμᾶς; praeterea cf. 24, 8; 34, 23.

149, 3

τούτου δὲ ὄντος ἀμηχάνου F	τούτου δ[ὲ ὄν]τος ἀδυνάτου Th II 13

Hic unicus est totius fabulae locus, quo exstat adiectivum ἀμήχανος, aliis contra 11 ἀδύνατος invenis scriptum. Quid? Num Thebani lectio ex Charitonis fluxit manu? Minime. Immo vitium est natum ex antecedente ἐδυνάμην. Notum est illud adiectivum et sermone comicorum (excepto Menandro), oratorum, Theophrasti, aliorum (cf. Passow-Cr. 372, 41 sq.) [27]). At substantivo ἀμηχανία utitur noster bis cf. 51, 10 et 73, 27. Itaque adiectivum ἀμήχανος utpote rarius adhibitum sine ulla dubitatione defendendum est neque debuit haerere W p. 253.

---

[25]) Cuius v. d. verba sunt haec: „Da ἄν den Modus näher bestimmt, so müßte es eigentlich diesem folgen, als λέγοιμι ἄν, ἔλεγον ἄν; öfter jedoch schließt es sich an dasjenige Satzglied an, auf welchem besonderer Nachdruck ruht.“ Tum exempla afferuntur.

[26]) W autem particulam illam recte non intellexit dicens p. 243 „In dem Text, wie ich ihn oben vermutungsweise nach F hergestellt habe, ist das καί vor Καλλιρόην in Z. 8 jedenfalls unrichtig, denn etwas anderes als Kallirhoë hätte der König ihm gar nicht „zurückgeben“ können. Es fragt sich nur, ob das eine unrichtige Zutat eines Schreibers oder vielleicht ein Residuum aus einer volleren Gestalt des Satzes ist, aus der dann die Worte des Florentinus durch Verkürzung entstanden wären.“

[27]) Addam locum X. E. p. 365, 21 ἐπειδὴ δὲ ὁ μὲν τέθνηκε, φυγεῖν δὲ ἀδύνατον καὶ τὸν μέλλοντα ἀμήχανον ὑπομεῖναι γάμον.

149, 4/5 καὶ πρῶτος εὐεργέτης εἰς οἶκον βασιλέως ἀναγραφήσῃ	F	καὶ πρῶτον εὐεργέτην εἰ[ς] τὸν οἶκον τοῦ βασιλέως ἀναγραφῆναι Th II 15—18.

Codicem Th, qui artificiosiorem contineat constructionem, secutus est W 243 sq. At vehementer errat ille vir doctus [28]). Fabulam nostram qui perlegerit facile cognoscet Charitonem quam maxime accessisse ad genus, quod vocatur λέξις εἰρομένη, ex Herodoti sermone satis notum (cf. Grundmann 33 sqq.). Quod minime mirum est. Nam, ut taceam de sermone peculiari, in quo singula enuntiata per particulas δὲ et καὶ saepissime coniuncta fuisse omnes scimus (cf. Rad. 180. W. S. § 4, 1b p. 26) [29]), ipsi Atticistae eundem usum amplexi sunt (cf. S I 422 sq. II 299, 19. III 326 sq. IV 546). Itaque collatis locis 9, 17 Δὸς οὖν μοι σχολάζοντα σεαυτὸν καὶ ἀκούσῃ μεγάλα πράγματα ὅλῳ τῷ βίῳ σου διαφέροντα; 48, 21 ζῇ Καλλιρόη καὶ τυμβωρύχοι ἔκλεψαν αὐτήν. * 81, 2 ἐπὶ τοῦτον ἦλθεν ὁ Διονύσιος — καὶ ἰδιολογίαν ᾐτήσατο μόνος [30]), iam non erit dubium, quin parataxis Florentina Charitonis sit [31]).

Ex eadem sententia velim diiudicare verba εἰς οἶκον βασιλέως obstante W, qui rursus Thebani lectionem εἰς τὸν οἶκον

---

[28]) Eandem discrepantiam iterum infra habes (cf. Theb. col. VII 13 VIII 2 = pag. 372 et 374 nostrae commentationis) et eo magis mirum est, quod Wilcken a recta via aberravit.

[29]) Praeterea consulendi sunt Morosi, Studi sui dialetti Greci 157 Pfister, Wochenschr. für class. Philol. Vol. XXVIII (1911), p. 809—813. De καὶ particula in talibus adhibita cf. Bl.-D. § 442, 4 p. 255.

[30]) Quo cum loco apte potest conferri exemplum e Luciani de electr. 88 iam a S I 422 citatum: Φαέθοντα γενέσθαι Ἡλίου παῖδα καὶ τοῦτον αἰτῆσαι. At vocem μόνος hr. expungere non debuit. Existunt complures alii loci e quibus evadit, ut noster pleonasmum illum ex Herodoti historiis notum et ab Arriano cummaxime amatum (cf. Grundmann p. 20 sq.) ipse quoque admiserit. E. g. cf. 24, 12 δακτυλίδιον μικρόν et 138, 23 πρώτη ἤρξατο λέγειν. Qua re non est, quod mutemus 15, 7 τὰ δὲ περὶ Καλλιρόην δευτέραν ἄλλην ἐλάμβανε παλιγγενεσίαν (Cob. VIII 252 δευτέραν ἄλλην deleri iubet). * 42, 4 ἐπέστη δὲ αὐτῇ εἰκὼν Χαιρέου πάντ' αὐτῷ ὁμοία μέγεθός τε — εἰκυῖα (hr. Abr. 611. Cob. V. L. 171 hr. dell. ὁμοία. cf. etiam infra pag. 358, 72) * 60, 19 ὁ δὲ Χαιρέας οὐδὲν εἶπεν ἀλλ' ἅμα ἐσίγησεν (Cum hr. ἅμα deleverit, Headlam (Journ. of philol. XXIV (1895) p. 266 puta ἀλλ' ἅμα corruptum esse ex ἀλλ' α' μὲν i. e. ἀλλὰ πρῶτον μὲν) * 78, 1 κα μόνος ἐπ' ἐρημίας γενόμενος (hr. expunxit μόνος).

[31]) Cf. etiam Aristid. rhet. II 3, 16 qui dicit coordinationem signum esse sermonis simplicis, quem Graeci ἀφέλειαν appellant.

τοῦ βασιλέως praetulit afferens * 133, 11 ἀναγράφω[32]) σε, εἶπεν, εὐεργέτην εἰς τὸν οἶκον τὸν ἐμόν, qui locus ad nostrum nihil facit. De locutione εἰς οἶκον βασιλέως duo dicenda sunt: primum observamus apud Charitonem saepius et nomen, a quo genetivus pendet, et genetivum ipsum articulo carere cf. 33, 1 γάμους δούλης 99, 28 γάμου διάλυσιν 113, 28 δοῦλον βασιλέως[33]) 139, 5 εἰς ἀνάγκην κατέστην αὐτομολίας. Deinde de rege Persarum statuimus a nostro articulum modo positum esse modo omissum; quare non est laudandus hr., qui non minus 23 locis delevit articulum[34]). At mirum est, quod sensit W 244 de Thebani τοῦ βασιλέως. Putat enim vir ille doctus μεγάλου excidisse. Quod quam pravum sit vel ex eo cognosci potest, quod rex Persarum aliis praesentibus ne uno quidem loco ipse de se ipso locutionem ὁ μέγας βασιλεύς[35]) usurpat.

---

[32]) Nostro loco respecto hr. ἀναγράφω edidit, frustra ut puto. Data occasione nonnulla proferam de tempore praesenti, quod hic temporis futuri loco adhibitum invenimus. Qui usus, cum apud veteres auctores satis raro occurrat, a scriptoribus seriorum temporum magis magisque adamatur (cf. Bl. D. § 323 p. 187. Rad. 124) idque ita, ut ne atticistae quidem eo se abstinuerint (cf. S. II 52. IV 75. 619; Sophokles p. 44. 46). E Charitonis fabula multa afferri possunt exempla, de quibus viri docti immerito dubitaverunt cf. 44, 8 (Nab. 198 ἀποφανοῦμαι); 73, 27 (H. ἄξουσιν. cf. etiam hr. 1858, 158. Cob. VIII 279 ἄγωσιν); 105, 17 (Proposuit Abr. 586 praeter alia προσέσται); 116, 8 (Cob. VIII 296 ἔσται); * 122, 8 μένει (hr. μενεῖ at 76, 29 futurum tempus comparet); 128, 24 (Cob. VIII 251 πιστεύσομεν); * 133, 11 (hr. ἀναγράψω); 135, 1 ὑπομένω (Rich. 23 περιμενῶ) 141, 26 (Nab. 211 ἂν ἄγοι. Jak. 57 ἄξει); * 143, 11 (H. hr. διαμενεῖς); 146, 17 (Nab. 211 ἐκδέξεται). De Heliodori usu eodem egit Fritsch I 30. — Verbum ἀναγράφειν Jacob illustravit in editione sua Alexandri Lucianei Colonis 1828, p. 4 (ad cap. 1) et D 624 ad 184, 2.

[33]) Simili modo 21, 18 περίεργον γὰρ ἀνθρώπου φύσις legitur, neque est quod sequamur Cobetum VIII 254 ἄνθρωπος φύσει scribi iubentem, quamquam comparet * 53, 25 φύσει δὲ φιλόζωόν ἐστιν ἄνθρωπος ab hr. in ἄνθρωπος depravatum. Caveant editores, ne omnes locos ad idem σχῆμα corrigant. De articulo in talibus omisso cf. S IV 66.

[34]) Cf. * 81, 28. * 82, 5. * 29. * 88, 20. * 91, 26. * 97, 4. * 100, 28. 102, 10 (= ed. Par. 472, 7). * 111, 15. * 112, 26. * 116, 2. * 116, 24. 118, 15. * 119, 18. * 26. * 120, 22. * 121, 1. * 25. * 124, 27. * 127, 22. * 140, 8 * 141, 13. * 147, 24. Ceteris contra 139 locis deest articulus. At Hercheri rationes eo magis vituperandae sunt, quod vel optimis auctoribus videtur placuisse ita loqui cf. Kr. 50, 3, 7 et Thes. II p. 166 A, etsi concedendum est in titulis Atticis regi Persarum articulum non attributum inveniri cf. Meisterh. 230, quam rem nescio quo pacto nemo, quantum scio, accuratius inquisiverit. De posteriorum usu invenis nonnulla apud Schaeferum in Mel. crit. p. 4 et 65 sq. et apud Jacobitzium in editione Timonis Lucianei (Lips. 1831) pag. 61 (ad cap. 42).

[35]) Loco 152, 9 a W arcessito adnumerandi sunt hi: 38, 6. 47, 5. 48, 28. 70, 23. 107, 2. (in soliloquio) 114, 3. 18. 29. 118, 20. 123, 29. 138, 19. 144, 1. 146, 26. 152, 5

Quibus omnibus perpensis non est quod relinquamus memoriam Florentinam.

149, 5 προσεκύνησεν ὁ Διονύσιος F προσεκύνησε Διο|νύσιος Th II 19

Hanc discrepantiam certis argumentis diiudicare nequeo, praesertim cum Charitonem articulo magna cum licentia uti primo obtutu videas. Tamen silentio non praeteream me multos vidisse locos, in quibus noster rem ita instituit, ut ei nomini proprio addiderit articulum, cui antecedit initio enuntiati forma verbalis, contra non addiderit, quod secuta est. Pro multis pauca appono: 24, 30 Θήρων δὲ τῆς δεξιᾶς λαβόμενος; 26, 14 Λεωνᾶς δὲ κελεύσας; 33, 30 Λεωνᾶς δὲ χαρίσασθαι τῷ δεσπότῃ βουλόμενος; 34, 15 Λεωνᾶς δε παραλαβών. 100, 26 Μιθριδάτης μὲν προσεκύνησεν; 133, 15 Διονύσιος δὲ προσεκύνησε. Alterius generis sunt: 25, 5 Ἀμείψασθαι δὲ θέλων ὁ Λωνᾶς[36]); 27, 24 ἔχαιρεν ὁ Λεωνᾶς; 29, 25 προσκυνήσασα δὲ ἡ Καλλιρόη; 87, 10 προσκυνήσας οὖν ὁ Μιθριδάτης 90, 31; προσκυνήσας ὁ Διονύσιος, quorum in societatem venit noster locus. Talia firma esse argumenta nemo dicere audebit[37]). Unum tamen quaero: utrum scriba facilius omittere potuit articulum an ponere de suo? Illud sane. Qua re nemo vituperabit nos, qui hoc loco Thebanam aspernemur lectionem.

† 149, 5/7	καὶ χάριν ὁμολογήσας *ἔχειν* ἔσπευδεν ἀπαλλαγῆναι καὶ δακρύων ἐξουσίαν ἔχειν F	κ[αὶ] χάρ⟨ιν⟩ ὁμολογήσας [ἔσπευ]-[δεν ἀπαλλαγῆναι] καὶ δακρύων [ἐξου]-σίαν ἔχειν Th II 20—24

Recte collegit W 250 e versuum 21 et 22 spatiis post ὁμολογήσας in Thebana memoria non exstitisse verbum ἔχειν, quam dittographiam agnoverat dudum hr. (quem cf. 1858, 164). Locutionis χάριν ὁμολογεῖν exemplis a W 250, 1 allatis addam Luc. pro lapsu c. 15 χάριν δὲ ὁμολογῶ τοῖς θεοῖς et nostri 39, 13 χάριν ὁμολόγησον ὑπὲρ ἡμῶν Διονυσίῳ.

---

[36]) Quo loco doct. Heibges p. 75 articulum delendum censet respectu clausulae. At clausulam, quae vocatur heroica, Charito saepius admisit, quam observavit Heibges e. g. cf. 56, 22 ἀλλ' ὡμολόγησεν ὁ Θήρων.

[37]) Nonnullis enim, etsi perpaucis, locis istam regulam neglectam vides esse e. g. cf. 15, 32 ὁ δὲ Θήρων φυλάξας.

149, 7 sq. Στάτειρα τὴν ἐπιστολὴν ἡσυχῇ δίδωσιν F	Στά[τειρα ἡ]συχῇ τὴν ἐπ[ιστο]λὴν ἐπιδ[ίδωσιν] Th II 25—27

Verba ἐπιστολὴν ἐπιδιδόναι terminum technicum, qui vocatur, esse putat W 250, quod exemplis vellem probasset. Invenimus verbum simplex non solum apud nostrum 78, 27. 108, 12. 146, 8. 148, 8 (qui locus ad nostrum spectat) [38]) sed etiam apud alios, idque ita, ut idem scriptores, sicut rursus noster 80, 2 et 146, 7, verbum compositum ἐπιδιδόναι admiserint. Scribit, ut exemplo utar, Diodorus XIV 47, 1: δοὺς ἐπιστολὴν πρὸς τὴν γερουσίαν atque idem l. l. § 2 τὴν ἐπιστολὴν ἐπέδωκε τῇ γερουσίᾳ [39]); Deinde Plutarchus conferendus est, qui usus est verbo simplici Mor. p. 533 B διδοὺς πρὸς Διονύσιον ἐπιστολήν, at verbo composito idem: Vit. Alex. 19 ἐκείνῳ μὲν ἐπέδωκε τὴν ἐπιστολήν. Praeterea Florentina lectio meliorem exhibet clausulam ἡσυχῇ δίδωσιν (A 1. 22,2% VIII: 195ies) Th contra: ἐπιστολὴν ἐπιδίδωσιν (B 3. 3, 6% VIII: 44ies). Quae cum ita sint, neque verborum collocationem neque compositum Thebani commendare possumus.

149, 11 εἶτα ἀνοίξας τῷ στήθει προσετίθει (scil. τὴν ἐπιστολήν) F	καὶ ἀνοίξας τῷ στήθει προσεπτύ|ξατο Th III 6—8

Suo iure W 249 εἶτα anteposuit. Ceteroquin πρῶτον cum εἶτα copulatum vides 97, 25 sq. 105, 15. 112, 24, quibus addam τὸ μὲν πρῶτον — εἶτα 89, 13 et πρῶτον μὲν — εἶτα 87, 4.

Doct. W 244 προσεπτύξατο tueri mavult, quod num recte fecerit, statim videamus. Negat Wilcken locum 44, 5, quo de Callirhoa legitur τὴν εἰκόνα Χαιρέου τῇ γαστρὶ προσέθηκε, conferri posse cum nostro, quo Callirhoe quasi praesens ficta sit. Immo alter locus cum altero maximis vinculis et propinquitatis et affinitatis est coniunctus. Hic non minus quam illic videmus verba fieri nescio cuius vehementer excitati ad pignus quoddam amoris, cuius in locum illic Callirhoe tenet anulum Chaereae

38) In locis sibi respondentibus Charito libenter eadem verba adhibet, ex quo iterum evadit, ut nostro loco verbum simplex consulto posuerit. Alterum exemplum mox afferemus.

39) Variam lectionem ἀπέδωκε Vogel praeferre non debuit coll. Act. 15, 30 ἐπέδωκε τὴν ἐπιστολήν.

imagine ornatum, hic Dionysius epistolam Callirhoes manu scriptam. De Florentini imperfecto Wilcken nihil protulit, tamen coniecerit fortasse quispiam tempus illud falsum esse. At in sermone communi tempora inter se vehementer mixta esse quis est quin sciat? Quam licentiam apud scriptores temporum imperatorum Romanorum omnes excessisse terminos docuit exemplis congestis Rad. 122 sqq. In nostrum usum conferas eiusdem annotationem 2, qua invenis testimonia, e quibus dilucide apparet tempus imperfectum loco aoristi poni posse. Neque desunt apud Charitonem exempla, quae novissimus editor fere omnia de suo immutavit [40]). Verum de Thebani constructione τὴν ἐπιστολὴν τῷ στήθει προσεπτύξατο aliter sentio. Veniet, auguror, qui comparet Sophoclis notissimos locos duos: Trach. 767 προσπτύσσεται πλευραῖσιν ἀρτίκολλος — χιτὼν ἅπαν κατ' ἄρθρον et Ant. 1237 ἐς δ' ὑγρὸν ἀγκῶν' ἔτ' ἔμφρων παρθένῳ προσπτύσσεται. Verbum προσπτύσσεσθαι, cum neutro loco cuiquam offensioni sit, nostro, etsi plane non est reiciendum, tamen mihi non arridet. Nam de epistola, quam aliquis pectori suo applicat vix potest dici προσπτύσσεσθαι. Quod si voluisset Charito, loco 44, 4 — nostro persimili — eodem verbo esset usus. „At addita vides“ dicat, qui cum Wilckenio facit, „verba ὡς ἐκείνην παροῦσαν; quapropter praestat lectio Thebana“. Immo contrarium est rectum. Timeo enim, ne fugerit illum supra exstitisse enuntiatum (p. 44, 5 sq.) ἰδοὺ τρεῖς ἐγεγόναμεν ἀνὴρ καὶ γυνὴ καὶ τέκνον; ille vero ἀνὴρ illic redditur imagine Chaereae, quae anulo adhaeret non minus quam hic Callirhoe epistula ab eadem femina scripta. Florentini verba propius accedere ad nostri stilum, quis est quin videat?

Locis hucusque a nobis tractatis leviores insedebant discrepantiae atque Thebanas lectiones recipere potuimus totiens, quotiens debuimus defendere codicem Florentinum, cui sub finem partis absolutae magis magisque fides erat danda. Quod vix forte factum: appropinquavimus paulatim ad locum memoriae Thebanae, quae magis recedit a Florentina. Eo ipso

---

[40]) E. g. cf. 103, 10 Μιθριδάτης μου κατηγόρει (ubi Gasda 30 κατακρατεῖ sive καταδικάζεται scribi iubet); * 132, 6 καὶ εὐθὺς ἔργον ἐγίνετο ὁ λόγος (hr. ἐγένετο); * 144, 29 ἔγραφε δὲ καὶ Χαιρέας ἐπιστολήν (hr. ἔγραψε); * 150, 8 καὶ ταχέως ἐμήνυε (hr. ἐμήνυσε). cf. etiam Kr. 53, 2, 1. S I 239. Du Mesnil 10.

maxime nisus est Wilcken sperans fore ut posset demonstrare duplicem nos manibus tenere redactionem. At considerantibus nobis codicem alterum ab altero in parte modo recognita valde haud differre vix vera videtur esse illius viri doctissimi opinio. Iam rimemur locum ipsum.

Cod. F 149, 12—21	**Cod. Th col. III 9—IV 2**
καὶ ἐπὶ πολὺν	ἐπὶ πολὺ(ν)
χρόνον κατεῖχεν	δὲ χρόνον κατέχω(ν)
ἀναγινώσκειν μὴ	
δυνάμενος διὰ τὰ δά-	
κρυα· ἀποκλαύσας δὲ	
μόλις ἀναγινώσκειν	αὐτά ἀναγείνωσκι.
ἤρξατο καὶ πρῶτόν γε	
Καλλιρόης τοὔνομα	‘Καλλιρόη’ — κατεφί-
κατεφίλησεν, ἐπεὶ δὲ	λησε τοὔνομα —
ἦλθεν εἰς τὸ ‘Διονυ-	‘Διονυ-
σίῳ εὐεργέτῃ’ ‘οἴ-	σίῳ εὐεργέτῃ’ — ‘οἴ⟨μ⟩-
μοι’ φησὶν ‘οὐκέτ’ ἀν-	μοι τῷ ἀνδρὶ οὐκ ἔ-
δρί. —	χω’ — ‘χαίρειν’ — πῶς δύ-
	ναμε σοῦ διεζευγ-
‘σὺ γὰρ εὐερ-	μένος;’ — ‘Σὺ γὰρ ἐμὸς
γέτης ἐμός, τί γὰρ ἄ-	εὐεργέτης, τί γὰρ ἄ-
ξιον ἐποίησά σοι;’	ξιον ἐποίησά σου;’
Ἤσθη δὲ τῆς ἐπι-	Ησ.ετο δὲ τῆς ἐπι-
στολῆς τῇ ἀ-	στολῆς πρὸς τὴν ἀ-
πολογίᾳ καὶ πολ-	πολογίαν καὶ πολ-
λάκις ἀνεγίνωσκε	[λά]κις ἀνεγίνωσκε
τὰ αὐτά· ὑπ-	[κα?]τὰ τὰ ῥήματα. Ἐ-
εδήλου γὰρ ὡς ἄκου-	[πίσ?]θη γὰρ ὅτι ἄκου-
σα αὐτὸν καταλίποι. Οὕτω	[σα κα]τέλιπεν. Οὕτω
κοῦφόν ἐσ-	[δὴ?φύσει κο]ῦφόν ἐσ-
τιν ὁ ἔρως καὶ ἀναπεί-	[τι]ν ὁ ἔρως καὶ ἀναπί- Col. IV.
θει ῥᾳδίως ἀντερᾶσθαι	[θι] ῥα[δ]ίως ἀντερᾶσθαι

Quod attinet ad narrationem ipsam: distat cod. F a codice Th duabus potissimum rebus. Primum: lacrimas prorumpere Dionysio, dum legit epistulam, in Th omnino non commemoratur. Porro hoc interest inter F et Th, quod in illo Dio-

nysius ex epistula nihil recitat nisi initium inscriptionis: Διονυσίῳ εὐεργέτῃ, cum in hoc totam inscriptionem[41]) invenias membratim recitatam idque ita, ut Dionysius tribus illis membris addat quanto animi motu afficiatur. Quod ne cui ambiguum videatur, illum Thebani locum seorsum apponam:

"Καλλιρόη"	κατεφίλησε τοὔνομα
"Διονυσίῳ εὐεργέτῃ"	'οἴ⟨μ⟩μοι 'τῷ ἀνδρί' οὐκ ἔχω'
"χαίρειν"	'πῶς δύναμε σοῦ διεζευγμένος';

Quas memoriae distantias si recte iudicare volumus, maxime respiciendum est nobis, quomodo inter se cohaereant res illius partis narratae. Dionysius modo certior factus ereptam sibi esse Callirhoen in omnem vitam quantopere animo perturbatus esset, ut eminentius faceret auctor, comparavit haud inepte tristissimum illum nuntium cum fulgure, quod de caelo cadit sereno (cf. 148, 27 sqq.). Ille etsi praesente Persarum rege maerorem suum atque dolorem sustentavit, tamen solitudines captare avet, ut possit se tradere lacrimis (cf. 149, 6). Dum relinquit Artaxerxem, accipit a Statira epistulam, quam scripserat Callirhoe. Ipse postquam sese in cella inclusit, agnoscit signum et manum Callirhoes (cf. 149, 10), quam quanto amore amplexus sit ex eo potest intellegi, quod basium impingit epistolae. Deinde eam aperit apertam pectori applicat, proinde ipsa sit Callirhoe. Tum nequit, quin diu lacrimet, cum quasi faces ei doloris admoveantur[42]). Tandem fessus lacrimando in-

[41]) Epistolam scriptam legimus 145, 15 sqq. Cuius initium cum putaret hr. non congruere cum loco 149, 17, coniectura mutavit. Quod rectene fecerit novissimus editor, cum non examinaverit W, nostrum esse remur uno verbo tangere illam quaestionem, cum praesertim ille locus vel maxime faciat ad intellegendum rerum conexum. Post inscriptionem pergitur in codice F verbis his: (* 145, 16) σὺ γὰρ εἶ ὁ καὶ λῃστείας καὶ δουλείας με ἀπαλλάξας, quibus inseruit deleto εἶ e 149, 17 verba εὐεργέτης ἐμός. Idem iam antea doctissimus R cogitavit, qui tamen Florentini verba elegantia quadam non carere observavit. At sententiarum rerum conexum neuter vir criticus, puto, recte perspexit. Vocem εὐεργέτης facile per se supponendam esse docet inscriptio praecedens; de ὁ καὶ cf. Bl.-D. § 268, 1 p. 156 et Herzog, Philol. vol. LVI (1897) p. 35 neque praetermittendus est doct. S, qui egit de nominibus duplicibus isto ὁ καὶ copulatis III 338. Immo de toto loco recte sensit D 625, qui suam protulit sententiam ad 184, 11. Illa enim verba 149, 17 σὺ γὰρ εὐεργέτης ἐμός non fuerunt scripta in epistula, sed edita sunt a Dionysio vehementer excitato. Quae si sic explicas ad sententiarum conexum optime quadrare statim videbimus cf. pag. 349, 47 nostrae commentationis. Inde nil mutandum erat.

[42]) Cf. 149, 12 sq. Cummaxime e 149, 6 sq. evadit, ut verba

cipit legere atque primum primo inscriptionis verbo Καλλιρόη dat basium[43]), e quo iterum cognoscimus Callirhoen unice diligi a Dionysio. Deinde obtutum figens in vocibus Διονυσίῳ εὐεργέτῃ obstupescit[44]); cur enim talis appellatus sit a Callirhoa, satis non intellegit, praesertim cum nondum legerit ipsam epistolam, qua Callirhoe facti sui rationem illi probavit. Inde recitat solas illas duas voces. In illis offendit solis. Illis ipsis inest summa totius loci gravitas. Ex illa ipsa voce εὐεργέτῃ Dionysio dilucide apparet Callirhoen in perpetuum abisse. Illa ipsa vox εὐεργέτης testis est vero veriorem esse tristissimum nuntium, quem acceperat a rege Persarum. Inde eiulat Dionysius οἴμοι οὐκέτ' ἀνδρί[45]). Vix fatalem illum eventum perspiciebat, cum reputabat secum, quaenam fuissent causae, cur talis accideret rerum mutatio. Iam bene meminit olim se

---

ἀναγινώσκειν μὴ δυνάμενος διὰ τὰ δάκρυα sint perquam necessaria. Qua re minoris est aestimanda Thebana memoria illis carens. De elocutione ipsa recte iudicavit W 239, 3.

[43]) Confert D 625 ad 184, 9 locum 73, 23; rectius debuit respicere 35, 9.

[44]) Immerito vituperatur Florentina memoria a Wilckenio, qui putat e verbis ἐπεὶ δὲ ἦλθεν εἰς τὸ Διονυσίῳ εὐεργέτῃ sequi, ut legentibus nobis vox Διονυσίῳ longissime distare videatur a voce Καλλιρόη quod, miror, probavit Nab. XXIX, 96. Immo iure ac consulto illis verbis usus est noster, nam iterum inde cognoscitur, quantus fuerit motus animi Dionysii epistolam legentis.

[45]) Quantula contra sunt, quae leguntur in Thebani col. III, 16 — 18! Imprimis iocum illum, diversa notione verbi χαίρειν effectum, quem et W 241 et Nab. l. l. maximi faciunt pugnare cum austero quodam genere dicendi, quod inest toti loco, recte vidit Wilamowitz, qui illum sciolo cuidam attribuit. Perperam fecit Jakob 40 sq. putans illum propterea deesse in F, quod scriba iam non intellegeret. Ceteroquin omnia, quae ille ad Thebanas adnotavit lectiones, tam prava sunt et tam inepta, ut non fuerit pretium de singulis disputare. — Restat, ut breviter tangam duas res ad artem grammaticam pertinentes. Primo de scriptura δύναμε i. e. δύναμαι nonnulla proferenda sunt. E et AI, quae nisi ab indocto a nullo esse confusa scimus, in papyris iam altero a. C. n. saeculo permisceri notum cf. Cr. 24. Mays. 107. In titulis contra exempla ante annum 150 p. C. n. non sunt inventa cf. Meisterh. 34, 185. Duo mihi liceat addere: vidi in papyri, quae est de Metiocho et de Parthenopa, versu 17 προβέναι et in fragmenti Dictydis (Pap. Tebt. vol. II, 268) versu 8 λαμ[β]ένοντε. Affert Sepulcri [Rendiconti del reale Istituto Lombardo ser. II vol. XLIII (1910)] pag. 511 e Ps-Call. codice Leid. ζυγένας pro ζυγαίνας. Deinde moneo hoc: Verbi διαζεύγνυμι tempus perfectum passivi respuit noster, qui semper usus est aoristo cf. 19, 19. 26, 8. 123, 9. 144, 22 (vero exstat compositi ἀπο- cf. 50, 29. 77, 5. 155, 25). Cum illam formam demum inde a Polybii temporibus noverimus (cf. Veitch 294, qui affert Polyb. VI 4, 20 et Alciphr. IV 14, 1 Schep., qui loci fugerunt Gasdam 20), colligam consulto evitatam esse in codice Th formam serioris Graecitatis.

aliquantulum institisse Callirhoae, ut in matrimonium eat[46]. Quare Dionysius ne dignus quidem sibi videtur, qui εὐεργέτης appelletur. Inde sequitur, ut Dionysius mora quadam interposita edat verba haec: „Immo tu me beneficiis ornasti[47]); qua enim ratione equidem tibi beneficia tribui[48])? Utrumque

---

[46]) Qui alterum et tertium legerit librum, ei notum erit, quantopere Dionysius luctatus sit cum ratione et cum affectu (cf. 32, 24). Qui, quamquam Callirhoen, quantum potest, veneratur amat aestimat, tamen ipsum ab illa modo honorari non amari 36, 18 comperit, a qua disiungere se iam non potest cf. 39, 26 sqq. At calliditate et fortuna usus sibi conciliat feminam. De vero quidem rerum statu nusquam fit certior quia vel a Plangone de multis iisque maximis rebus celatur, atque semper conscientia quadam mordetur. Ceteroquin certo scit Dionysius interesse aliquid inter ea, quae ipse fecit, et ea, quae praescribunt leges atque ius. Nihilo setius adducitur, ut credat quae dicit verbis his: ἐγὼ γυναῖκα ἐλευθέραν ἐπιδημήσασαν οὐκ οἶδ' ὅπως ἤκουσα. ἐκδομένην ἑαυτὴν κατὰ νόμους ἔγημα 48. 30, ut non dicamus, quam incerta sint, in quibus nititur eiusdem causa apud Persarum regem acta, quam Callirhoae occultat, quamdiu potest cf. 84, 15. Dionysii sollicitudo, quae ne post nuptias quidem cum Callirhoa factas cessat, etiam augetur, cum 62, 1 Chaereae nomen primum audiat, qua re sentit feminam etiam tum illi fidem servare. Iam intellegimus, cur Dionysius tum maxime anxius sit, cum res est de Chaerea e. g. cf. 66, 20, ubi de trireme, in qua est Chaereas, et 80, 12 ubi de Chaereae epistola fit certior. Ut brevis sim: Sentit Dionysius sese in culpa esse compluribus de causis atque ipsum se debebat tacite accusare, quod etiam atque etiam urgeret Callirhoen, ut uxor fieret, quamquam sibi proposuerat illam non ἄκουσαν βιάζεσθαι cf. 37, 13. 42, 14. 47, 11.

[47]) Inde collocatio verborum, quam praebet F 149, 17 σὺ γὰρ εὐεργέτης ἐμός sola recta est, nam ipso isto modo dilucide apparet Dionysii sententiam opponi Callirhoes. Ceteroquin memoriam Florentinam nostro loco longe praeferendam esse non solum docet locus 67, 5 sed etiam clausula — ⏑ — ⏑ ⏓ (D 1. 4% VIII: 34ies) quae aptior est quam Thebana ⏑⏑ ⏑ —, — ⏑ ⏓ (C 2. 1,5 % VIII: 18ies). Jakobi iudicium p. 41 prolatum mittere possumus utpote perabsurdum. At unum brevibus exponendum puto. Doctissimus D 625 ad 184, 11 verba σὺ γὰρ εὐεργέτης ἐμός iubet mutari in εὐεργέτις ἐμή, quod haud recte esse propositum demonstratur compluribus locis Charitoneis. Legimus 18, 24 τὸν κατήγορον (scil. Καλλιρόην) ubi hr. praef. V τὴν flagitat; *27, 21 συνέκρινας γὰρ αὐτὴν τοῖς ἀγροίκοις, ubi hr. secutus D 292 ad 32, 13 edidit ταῖς; 90, 22 παραδοῦσα αὑτὴν τῷ κρείττονι φέρειν, quem locum frustra, ne dicam insane, tentavit Schmidt 191; 146, 1 ῥᾴδια γὰρ πάντα βασιλεῖ, ubi βασιλεῖ ad Statiram spectat, inde Nab. 211 de βασιλείᾳ cogitavit. Non sunt coniecturis depravandi isti loci.

[48]) Τί γὰρ ἄξιον ἐποίησά σοι 149, 17. Et W 249 et Nab. XXIX 96 recte praetulerunt dativum σοί, at fugit utrumque virum doctum a veteribus scriptoribus in talibus accusativum poni, quod ipse noster fecit 54, 1 τί δὲ τὴν κυρίαν αὐτῶν πεποιήκατε; Quare et Gasda (29) et Jakob (40) in casu offenderunt. At dativum in posterioris Graecitatis aetate saepius adhiberi loco quarti casus certo scimus e N. T.[1] scriptis, cuius usus egregia congessit exempla doctissimus Rad. 99; e. g. Ev. Luc. 6, 27 καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς sive eiusdem 20, 15 τί οὖν ποιήσει αὐτοῖς ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος.

enuntiatum γάρ particula incipiens docet legentes nos, quanto animi motu affectus sit Dionysius, quantopere ipse secum luctetur[49]). Tum demum ipsam legit epistolam, qua lecta scit et Callirhoen sibi obligatam esse quibusdam beneficiis[50]) seque posthac ab illa in honore habitum iri[51]). Quae cum ita sint, verba ἥσθη δὲ τῆς ἐπιστολῆς τῇ ἀπολογίᾳ, quae
149, 18 scripta legimus, optime quadrant ad totius loci sententiam. Atque profecto sibi videtur epistola illa excusari Dionysius, utpote religiosissimus atque diligentissimus vir. Tum demum scrupuli, qui Dionysio iustis de causis inerant, exempti sunt atque magna sollicitudine est liberatus[52]). Quapropter ista verba excusationem exprimentia legit iterum iterumque[53]).

---

[49]) Saepius videmus γάρ particulam initio duorum enuntiatorum se sequentium poni. Cummaxime conferendi sunt loci 43, 28 sq. 74, 13 sq. 95, 28 sq., praeterea cf. 47, 14 sq. 83, 23 sq. 85, 14 sq. 96, 25 sq. 117, 4 sq. 119, 10. 12. 135, 29 sq. 134, 28 sq. 142, 3 sq. 155, 4 sq.

[50]) Verba demum σὺ γὰρ εἶ ὁ καὶ λῃστείας e. q. sqq. (cf. 145, 16 sqq.) docent Dionysium, cur iuste appelletur εὐεργέτης. Callirhoe contra, cum sciat, quid et quantum debeat Dionysio, utpote homini nobili, rogat in epistola μηδὲν ὀργισθῇς. Neque enim vult Dionysio ingrata videri.

[51]) Cf. 145, 17 εἰμὶ γὰρ τῇ ψυχῇ μετὰ σοῦ etc.

[52]) Irrita cadunt, quae putat W 244: Callirhoen scripsisse epistolam Dionysio eo consilio, ut sese purgaret. Immo Charito Callirhoes mores tales depinxit totamque narrationem amatoriam ita instituit, ut illa se purgare non deberet. Callirhoe enim, ut femina sibi constans semper eadem consuetudine cum Dionysio utebatur e. g. cf. 100, 4 Χαιρέαν φιλοῦσα, Διονύσιον αἰδουμένη. Verum Dionysius, quo est amore Callirhoes captus epistolam propterea plurimi aestimat, quod, praesertim cum rerum eventu inexspectato valde sit oppressus, primum ex ista epistola haud ambigue comperit, quanti omnino aestimetur ab illa femina amata, quae res leviter modo erat adumbrata verbis 47, 24: ‘σοὶ μὲν,’ εἶπε, ‘πιστεύω Διονύσιε, ἀπιστῶ δὲ τῇ ἐμῇ τύχῃ’. Inde vehementer gaudet Dionysius, quod sibi licet retinere filium et in matrimonium dare filiae ex priore matrimonio susceptae, ut significantius illustretur, quam arctis vinculis amborum animi coniuncti sint. Callirhoe etsi Dionysium grato animo relinquit, tamen haud invita abit, quod amat Chaeream. — Ceteroquin ex epistola, qua dilucide apparet, quantopere Charitoni contigerit, ut hominum mores depingeret, sequitur, ut Callirhoe ab animo impetrare nequeat, ut Dionysio indicet filium ab illo non esse genitum cf. 145, 8 διὰ τὸν κοινὸν υἱόν. Ne discedens quidem animum inducit, ut, quem maximi aestimat, Dionysio explanet verum rerum statum, timens, ne tali nuntio illius animus violetur. Quam omnem rem auctor noster nobis non dicit simplici narratione, sed ingeniose permittit legentium arbitrio.

[53]) Itaque etiam hac in re Florentini verba 149, 19 καὶ πολλάκις ἀνεγίνωσκε τὰ αὐτά praeferenda sunt Thebani III 18—20 καὶ πολ[λά]κις ἀνεγίνωσκε [κα]τὰ τὰ ῥήματα. In supplendis Thebani verbis haerebat W inter [κα]τὰ et [αὐ]τὰ, cui alteri favit Nab. XXIX 96. Atqui ut non

Inest rebus illis illud flebile, quod infelix ille vir vel in extrema narratione reverentiae a Callirhoa adversus se adhibitae falsam sibi induit persuasionem nec non se amari quodammodo a Callirhoa opinatur. Quae omnia Dionysium ex suo iudicasse ingenio, ut significaret, Charito consulto et cogitatione[54] posuit optativum, quo modo in universum perraro est usus[55]).

Postquam vidimus in componendis rebus memoriam Florentinam multo superiorem esse Thebana, restat ut disputemus de singulis quibusdam, quae attinent ad auctoris sermonem.

Imprimis respiciendum est verbum ἀναγινώσκειν, quod 149, 13 comparet, spatio brevi intermisso iterari (cf. 149, 14), cuius usus complura in nostra fabula existunt exempla[56]). Quid? Nonne scriba, qui minus diligenter describebat, facillime

---

deberet haerere evadit ex eo, quod in memoria Thebana totam epistolae inscriptionem recitatam invenis; nostro ergo loco rem eandem esse equidem putaverim, etsi concendendum est alterum supplementum [αὐ]τὰ τὰ ῥήματα cum serioris Graecitatis rationibus non pugnare. Quod non putasset W 245, si respexisset Charitonis 46, 18 sq.: λέγε αὐτὰ τὰ ἐκείνης ῥήματα.

[54]) Recte etiam W 245 praetulit optativum.

[55]) Charito istum modum non plus quam 55ies admisit, atque optativus obliquus, qui dicitur, ter tantum comparet: semel regitur coniunctione ὅτι cf. 148, 13, semel ὡς (nostro loco 149, 20), semel ἵνα 10, 24, de quo loco — ceteroquin a doctissimo S' neglecto in P. W. R. E. vol. III p. 2169, 63 — frustra dubitabat hr, qui praef. IV coniunctivum flagitavit. Nil est mutandum, quamquam aliis fere 27 locis ἵνα cum coniunctivo copulatur. Simili modo semel optativum praetulit X. E. 384, 2, qui quattuor aliis coniunctivum posuit cf. Mann 29. — Ex Luciani scriptis collegit exempla nonnulla Du Mesnil p. 18. — Optativum modum apud auctores, qui inde ab Aristotelis temporibus vixerunt, magis magisque intercidisse (cf. Schmidt, Jos. 405) et a sermone volgari plane repudiatum esse satis constat (cf. supra p. 338, 21 et Rad. 133). Neque praetermittam in N. T.i scriptis ἵνα nullo loco — in Lucae libris etiam ὅτι et ὡς — cum optativo coniunctum inveniri cf. Bl.-D. § 386, 3 p. 218.

[56]) Quam rem brevibus illustrare operae erit pretium, cum multi viri docti in ea offenderint. Eiusdem verborum abundantiae, quam imprimis Herodotus adhibuit (cf. Grundmann p. 21 et Radermacher Goett. Gel. Anz. 1899, p. 718 sq.), vestigia existunt apud alios scriptores veteres. E. g. conferas initium libelli, qui sub Xenophontis nomine circumfertur: περὶ δὲ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας, ὅτι μὲν εἵλοντο τοῦτον τὸν τρόπον τῆς πολιτείας οὐκ ἐπαινῶ διὰ τόδε ὅτι ταῦθ' ἑλόμενοι εἵλοντο τοὺς πονηροὺς ἄμεινον πράττειν ἢ τοὺς χρηστούς, διὰ μὲν οὖν τοῦτο οὐκ ἐπαινῶ. Adde Plat. Gorg. p. 471 c Ὦ μακάριε, ῥητορικῶς γάρ με ἐπιχειρεῖς ἐλέγχειν, ὥσπερ οἱ ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἡγούμενοι ἐλέγχειν. καὶ γὰρ ἐκεῖ οἱ ἕτεροι τοὺς ἑτέρους δοκοῦσιν ἐλέγχειν. Pseudo-Herodis locos congessit Drerup p. 39 sq. suae editionis. Eundem usum amplexi sunt posteriores. Pro multis nonnulla: Dion. Hal. ep. ad Pomp. c. 3 (766 R) περὶ δὲ Ἡροδότου καὶ Ξενοφῶντος ἐβουλήθης μαθεῖν, τίνα

aberrare potuit a priore ἀναγινώσκειν ad alterum? Potuit. Iam non mirabimur, quod desunt in codice Th verba ἀναγινώσκειν μὴ δυνάμενος διὰ τὰ δάκρυα[57]). ἀποκλαύσας δὲ μόλις. Porro fac iam in aliquo codicis Thebani exemplo defuisse illa, ut exstiterint haec: καὶ ἐπὶ πολὺν χρόνον κατεῖχεν ἀναγινώσκειν ἤρξατο: quid est veri similius quam eum, qui deinde attigerit illud enuntiati monstrum tantopere claudicans emendare studuisse? Primum sustulit asyndeton scribendo κατέχων[58]) pro κατεῖχεν. Deinde cum καὶ particula ferri nequiret, enuntiati initium mutavit in ἐπὶ πολὺν δὲ χρόνον. Tertium verbo ἀναγινώσκειν[59]) obiectum addidit, quo illud vix potest carere.

περὶ αὐτῶν ὑπόληψιν ἔχω, καὶ γράψαι με περὶ αὐτῶν ἐβουλήθης (Krueger expunxit alterum ἐβουλήθης pro quo Brinkmannus ἐδεήθης scribi iussit. Recte ad codicis lectionem rediit Rad. cf. p. 232, 7 ed. Teubner). Ex N. T.i scriptis afferam Luc. 18, 25 εὐκοπώτερον γάρ ἐστι κάμηλον διὰ τρήματος βελώνης εἰσελθεῖν ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν. De Arriani locis cf. Grundmann l. l. E Luciani Asino nonnulla exscripsit Rohde: „Ueber Lukians Schrift Λούκιος ἢ ὄνος etc." Lips. 1869 p. 34, 3. Praeterea cf. X. E. 330, 12 sqq. Ἥγετο δὲ τῆς Ἀρτέμιδος ἐπιχώριος ἑορτή, ἀπὸ τῆς πόλεως ἐπὶ τὸ ἱερὸν στάδιοι δέ εἰσιν ἑπτά (sic interpungendum puto). ἔδει δὲ πομπεύειν πάσας τὰς ἐπιχωρίους παρθένους etc. Et eiusdem p. * 368, 11 sqq.: καὶ συνεῖσα ὅτι μὴ τὸ φάρμακον θανάσιμον ἦν, στενάξασα καὶ δακρύσασα 'ὦ ψευσάμενόν με τὸ φάρμακον' φησίν etc. ubi hr. alterum τὸ φ. delevit. Quae cum ita sint, et nostro idem concedendum esse negabit nemo. Vituperandus est hr., qui talia de suo immutavit saepius: * 13, 19 legimus in codice τελευταῖος δὲ ἐπεκολούθησεν ὁ Χαιρέου πλοῦτος; iterum expunxit hr. verbum ἐπεκολ. respectu versus 22 ἐπεκολούθει. 28, 30 ὥστε ἐνδεδυμένης αὐτῆς θαυμάζουσαι τὸ πρόσωπον θεῖον πρόσωπον ἔδοξαν ἰδοῦσαι, quem locum multi frustra tentaverunt. * 58, 12 περιέφυ τῷ τραχήλῳ τοῦ παιδὸς καὶ ἀνακρεμάμενος αὐτοῦ τοῦ τραχήλου (τοῦ τρ. del. hr. quod probatur Cobeto VIII 268). * 154, 18 τρέφεται — πολίτης — ὑπ' ἀνδρὸς ἐνδόξου καὶ γὰρ ἐκείνου τὸ γένος ἔνδοξον (hr. del. ἔνδοξον. Multo magis depravatur locus a Nab. 212 sq. cf. etiam 39, 31 sq; 135, 15—17).

57) De illis verbis cf. supra p. 347, 42 nostrae commentationis.

58) Reiecit W 240 formam temporis praesentis κατέχων, quae non esset Graeca. Tamen respiciendum est a posterioribus tempora haud ita prudenter adhibita esse ut a veteribus. Doct. Rad. de ea re pag. 124 disseruit haec: „Ob man aber gut daran tut, in allen Fällen scharfe Differenzen zwischen einem Imperfect, Aorist oder Perfect, einem Coniunctiv, Imperativ oder Infinitiv des Aorist oder Praesens anzunehmen, mag nach dem Zustand der Sprache in jener Zeit zweifelhaft erscheinen." Cui et participium adnumerandum esse consentaneum est. Quid? Num recte correxerunt viri critici locos * 37, 28 παραγινομένῃ (Abr. hr.); 39, 17 προσαγόμενος (Cob. VIII 261); * 104, 22 ὀδυρόμενος (hr.)? Ceterum dubitem, an recta non viderit Hultsch „Die erzählenden Zeitformen" I 198 de Polybii II 37, 9. IV 7, 4. XXIII 14, 2.

59) ἀναγείνωσκι scriptum invenitur, sed talia nimis trita possumus mittere. Praeterea cf. W 240, 1.

At melius debuit supplere αὐτὴν (scil. τὴν ἐπιστολὴν) non αὐτὰ (scil. τὰ γράμματα), quod vituperavit W 240 [60]). Contextu ita decurtato verba ἤρξατο καὶ πρῶτόν γε sensu carere vix est quod commemorem. Verum redactor — si modo licet tali nomine uti — adiit epistulam ipsam 145, 15 sqq., e qua stupide repetivit totam inscriptionem, ut iam supra p. 347 sqq. exposuimus. Quo facto iterum delenda erant verba ἐπεὶ δὲ ἦλθεν εἰς τὸ 149, 15 sq.

W 239 dubitabat de activi forma ἀποκλαύσας 149, 14, quae exstat sola in codice F. Etsi doctissimus Nab. XXIX, 97 adnotavit activum genus per analogiam satis esse tutum, cui accedit, quod dixit S in Burs. annal. vol. CVIII (1902) p. 275 not. 2, haud inutile autumo apponere tres locos, in quibus formae activi eiusdem verbi eadem inest notio: cf. Herodoti II 121 γ τὸν ἂν ἴδωνται ἀποκλαύσοντα et eiusdem III 64 ἀπέκλαιε καὶ ἀποκλαύσας; nec non Plutarchi Mor. p. 455 C αἴτε τοῖς πενθοῦσιν ἐφέσεις τοῦ ἀποκλαῦσαι καὶ ἀποδύρεσθαι. Ad eiusdem generis locos spectat Hesychii glossa p. 198, 23 (Schm. ed. min.) ἀποκλαίω· κλαίω. Valde vero miror, quod illi viri critici, quibus non contigerat indagare locos modo prolatos, non attulerunt exempla aliorum verborum a Charitone item adhibitorum, e quibus evadit, ut etiam noster saepius activum genus loco medii admiserit [61]). Ut exemplo utar, legimus 65, 25 καλέσας τοίνυν Φωκᾶν διηρεύνα; contra 79, 20 medium comparet,

---

[60]) Eadem neglegentia hic illic noster usus est. Traditum est * 99, 25 προῆλθε δὲ μέχρι ῥημάτων, quod hr. formam verbalem referens ad Dionysium et Chaeream mutavit in προῆλθον. Haud recte, ut puto. Numerus enim singularis pendet ex voce πόλεμος, quae versu 22 legitur; atque verbum προέρχεσθαι ad substantivum abstractum referri posse docet 38, 8 sq.

[61]) Eundem usum adamaverunt atticistae cf. S I 239. III 69. IV 73. 619. E sermone communi congessit exempla Rad. 120, qui idem inspiciendus est in suae Demetrii editionis pag. 90. De A. T. cf. Sex. 29. Aliis locis Charitoneis vv. dd. immerito offenderunt: 50, 15 ἡ Ἀφροδίτη γαμεῖ (Gasda 26 γαμεῖται, nam 5, 26 medium comparet!) Item res se habet in N. T.° cf. Bl.—D. § 182 p. 310 et § 101 p. 56, qua re Cob. VIII 269 non debuit tam insolenter defendere codicis lectionem. 58, 21 περιέρρηξε τὸ στῆθος (Cob. VIII 246 περιερρήξατο. Gasda 27 τὴν ἐσθῆτα pro τὸ στῆθος). Etiam apud X. E. * 370, 28 traditum est περιέρρηξε τὸν χιτῶνα, ubi hr. falso edidit medium Cobetum secutus. 120, 19 τοσούτῳ δὲ παρασκευάζεται χρόνῳ πάντα ὑπὸ πάντων, ὅσῳ καὶ εἷς ἀνὴρ παρεσκεύασε (Cob. VIII 296 sq. postulabat med.). Inde non est quod mutemus * 59, 19 καὶ ὥρμισαν ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἀκτῆς (hr. ὡρμίσαντο), quamquam 19, 22. 23, 4. 140, 24 medium invenimus.

ut apud Plat. Men. 240, B (et cf. S I 300), atque Polybium, Plutarchum, Lucianum, Appianum simili modo eiusdem verbi activum posuisse satis constat.

149, 16	'οἴμοι' φησὶν 'οὐκέτ' ἀνδρί' F	'οἴ⟨μ⟩μοι "τῷ ἀνδρί" οὐκ ἔχω' Th III 14/15

De orthographia vocis οἴμμοι cf. Cr. Arch. f. Papk. I p. 528, 3, qui eandem scripturam invenit in titulis, papyris, codicibus, maxime in scripturae sacrae codice Sinaïtico[62]). Vocem φησὶν deesse in codice Th nemo mirabitur, qui legerit, quod supra pag. 347 de isto loco exposuimus. — Thebani verba, quae per se nihil habent offensionis, doctissimus S l. l. p. 275**) recte interpretatus est verbis „non invenio inscriptum 'marito'." Atque falsus est W 240 putans οὐκ ἔχω depravatum esse ex οὐκέτ' ὄντι. Adde, quod in Florentino evitati sunt hiatus τῷ ἀνδρὶ οὐκ et quod numeri aptius cadunt: οὐκέτ' ἀνδρί (A 1. 22,2% VIII: 195ies) quam in codice Th – – – (D 1, 4% VIII: 34ies).

149, 18	ᾔσθη δὲ τῆς ἐπιστολῆς τῇ ἀπολογίᾳ F	Ἠισ[θ]ετο δὲ τῆς ἐπιστολῆς πρὸς τὴν ἀπολογίαν Th III 21—23

Codicis F verba compta esse iam W 244 concessit. De Thebani memoria breviter est disputandum. In tradito ησ.ετο latescere ᾔσ[θ]ετο negabat W, qui cogitavit de ᾔσχετο i. e. ἔσχετο. At ᾔσθετο legendum esse mihi quidem certum est. Quid? Verba αἰσθάνεσθαι et ἥδεσθαι saepius inter se confunduntur cf. Thes. I 1 p. 1059 D, quod nostro loco facillime accidere potuit scribae minus diligenti, cum sequatur genetivus. Sed alterum est deliberandum: Potestne ᾔσθετο accipi sensu 'intellegendi' vel 'interpretandi', quam notionem novimus e LXX librorum scriptis et sacrae scripturae uno loco cf. Cremer-Koegel, Bibl.-theol. Wörterb.[10] Gotha 1915 p. 90[63]), ut vertam: „er faßte den Brief als Apologie auf"? Utut sese habet res, codex F multo praestat. Cummaxime fugit Wilckenium

[62]) Florentini scriba semper recte exaravit οἴμοι cf. 15, 25. 29, 21. 53, 16.

[63]) Cf. Sap. 11, 14 ὅτι γὰρ ἤκουσαν διὰ τῶν ἰδίων κολάσεων εὐεργετουμένους αὐτούς, ᾔσθοντο τοῦ κυρίου.

locutionem πρὸς τὴν ἀπολογίαν quasi vacillare. Si scriptum invenissemus πρὸς ἀπολογίαν, Thebani verba aliquo modo possent defendi [64]). Sed articulus abhorret a Graecorum dicendi consuetudine. Inde apparet infelicissime Wilckenium utriusque memoriae contextus in unum confudisse.

149, 20

ὑπεδήλου γὰρ ὡς ἄκουσα αὐτὸν καταλίποι F — Ἐ[πίσ]θη γὰρ ὅτι ἄκου-[σα κα]τέλιπεν Th III 26/27

Cur repudiaremus codicem Th supra pag. 351 exposuimus. Verbum ὑποδηλοῦν, quod imprimis apud poetas est usitatum (cf. S I 317), nisi nostro loco in memoria Florentina non comparet. Recte supplevit W ἐ[πίσ]θη i. e. ἐπείσθη, quod verbum etiam a nostro cum ὅτι coniungitur cf. 133, 16. Ceteroquin putat W 245 pronomen αὐτὸν [65]) in Th omissum esse scribae culpa. Quam sententiam nolo refutare, sed dignum videtur, quod memoretur saepius supprimi obiecta, quae facillime subaudiuntur, cuius usus exemplum statim tractabimus (cf. infra pag. 356). Quare Thebani verba, et si minus sunt elegantia, tamen vacant vitiis.

* 149, 20

οὕτω κοῦφόν ἐστιν ὁ ἔρως F — οὕτω [δὴ φύσει κο]ῦφόν ἐσ-[τι]ν ὁ ἔρως Th III 27/IV 1

Codicis Thebani mutilatum versum III 27 doctissimus W supplevit verbis δὴ (qua de particula dubitabat) φύσει, quem ad finem conferri queat * 65, 15 ἠπίστατο γὰρ ὅτι φύσει περίεργόν ἐστιν ὁ ἔρως. Potuit aeque bene legi οὕτω [γὰρ καὶ κο]ῦφόν ἐστιν etc., de οὕτω γάρ cf. 99, 6. Sed talia ut nimis incerta in medio relinquenda puto, praesertim cum codicis F lectio sit sana. At valde gavisus sum, quod testis est Th articulum ab hr. e nostro et illo loco * 65, 15 immerito deletum esse.

149, 21

καὶ ἀναπείθει ῥᾳδίως ἀντερᾶσθαι F — καὶ ἀναπί-[θι] ῥᾳ[δ]ίως ἀντερᾶσθαι Th IV 1/2

Quamquam verba Thebani cum F congruunt, Jak. 58 ἀναπείθει in ἀναπείθεται mutari iubet, quod voce ἔρως homines amantes

[64]) De praepositione πρός cf. Rad. Dem. pag. 96 sq. et Charit. 79, 3.
[65]) Apud W typothetae errore scriptum est αὐτοῦ.

significentur. Verum ignorat ille v. d. verbum ἀναπείθειν saepius ita adhiberi, ut omittatur obiectum, quippe quod e sententiarum conexu facile intellegatur. Sume ad manum Xenophontis oeconomicum, in cuius 19, 16 legis scriptum καὶ περὶ αὐλητῶν ⟨ἂν?⟩ δυναίμην ἀναπεῖσαι ὡς ἐπίστασαι αὐλεῖν (i. e. τοὺς ἀκούοντας), cui addas Heliodori 4, 21 κόρη καθῆστο ἐπὶ πέτρας, ἀμήχανόν τι κάλλος, καὶ θεὸς εἶναι ἀναπείθουσα (i. e. τοὺς ἰδόντας). Iam vides nostro loco supponendum esse τὸν ἐρῶντα vel αὐτὸν i. e. Διονύσιον, qua re acquiescendum erat in codicum amborum memoria. Obiter moneo particulae καὶ vim inesse consecutivam, quae turbavit viros doctos nonnullis nostrae fabulae locis [66]).

Iam accedimus ad alterum palimpsesti caput, quod cum a Florentino longius discedat, W in usum suum coegit (cf. p. 241, 243). Verum nos considerantes partis modo tractatae memoriam Florentinam non minus in componendis rebus quam in genere dicendi multo praestare circumspectius iudicabimus de discrepantiis quae sunt hae:

Cod. F *149, 21—23	**Cod. Th col. IV 3—10**
θεασάμενος δὲ τὸ	[θε]ασάμενον δὲ τὸ
παιδίον *κ α ὶ π ή λ α ς*	[π]αιδίον *τὸν πατέρα*
τ α ῖ ς χ ε ρ σ ὶ ν	*[κ]λάοντα προσῆλθεν*
	αὐτῷ καὶ ʽΠοῦ μοι πά-
	τερʼ εἶπεν ʽἡ μήτηρ;
	ἀπίωμεν πρὸς αὐτή[ν].ʼ
ʽἀπελεύσῃ *ποτέ μοι*	ʽΣὺ *μὲν* ἀπέλευσαι, τέ-
καὶ σύ, τέκνονʼ, *πρὸς*	κνον, *εὐτυχῶς*
τὴν μητέρα· καὶ . . .ʼ	καὶ . . . ʼ

Videamus primum, quomodo res sint compositae in codice F Scena antecedens sententia quadam erat absoluta, quae in-

[66]) Quos breviter perstringere mihi liceat. Cf. 14, 28 καὶ μόνον μήνυε τὴν πρᾶξιν κ α ὶ τὸν καιρὸν μὴ παραπολλύωμεν. Nab. 200 postulavit ἵνα, quod sensu consecutivo aliis locis adhibitum esse non nego (cf. 40, 25. 43, 7. 48, 5. 97, 9. 102, 30. 110, 30. 114, 25. 136, 9. qua de re cf. Gasda 20. Schmidt, Jos. 420 S. III 81. IV 88. 620). 46, 31 σὺ θρέψεις παιδία ἐκ τῆς ἀργυρωνήτου κ α ὶ καταισχυνεῖς σου τὸν οἶκον (Cob. VIII 264 καταισχύνων flagitat pro καταισχυνεῖς καί). *68, 25 τί δὲ καὶ ἡ τριήρης ἠδίκησεν καὶ βάρβαροι κατέκαυσαν αὐτήν (hr. ὡς pro tradito καί, Cob. contra VIII 272 ἵνα mavult scribere). Quos locos non esse mutandos apparet ex eo, quod vel veteres scriptores eundem usum noverunt (cf. K—G. II 248, 5), qui multus est in N.T.i scriptis (cf. Bl.-D. § 442, 2 p. 255.)

erat verbis 149, 20 οὕτω κοῦφόν ἐστιν ὁ ἔρως καὶ ἀναπείθει ῥᾳδίως ἀντερᾶσθαι. Dionysius, qui finem fecerat legendi epistolam, consolatus erat se aliquantulum illo solacio, quod persuasum habebat fore ut Callirhoe gratissimam sui retineret memoriam. At vix filiolum conspexerat, cum iterum angitur praecipuo quodam dolore. Bene enim meminit illius epistolae loci, in quo scripta erant verba (145, 21) καὶ πέμψον αὐτὸν (scil. τὸν υἱὸν) εἰς Συρακούσας. Inde Dionysii animo tantus dolor incutitur, ut illud solum teneat: privari sese vel unico amoris pignore quod, quippe a Callirhoa acceptum, carissimum habebat[67]). Quare illud solum meditans ad filiolum, quem manibus sustulit: „Etiam tu[68]) mihi", ait, „aliquando ad matrem abibis; hoc enim ipsa vult etc."

Qui illa legit sine ira et studio, num desiderat a nostro narrari, qui factum sit, ut Dionysius filiolum videret[69])? Cellam relictam esse a Dionysio ex ipsis verbis facile colligi posse contendit Wilamowitz l. l. p. 33, 1 contradicens W. Verum et potest conferri scena, qualem invenimus depictam 102, 28 sqq., in qua infans ille praesto est, dum Dionysius soliloquium dicit, quod a nostro nisi verbis 103, 2 μεταξὺ δὲ περιπτυξάμενος τὸν υἱὸν ἔλεγε κλάων. non significatum est. Accedit quod auctorem in extrema narratione ad finem quasi properare videmus (cf. imprimis 149, 26 sqq.). Utcunque sese habet res: genuina esse verba Florentina non est quod negemus.

Deinde examinemus quomodo sint compositae res in codice Th.

I. Primum inducitur infans verba faciens, quod per se fieri non potuisse plane neglegitur; habet enim filiolus non plus quam quattuor vel quinque menses[70]).

---

67) E. g. cf. 47, 2 sqq. ἀνατείνας δὲ τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν 'εἰ γὰρ ἴδοιμι', φησίν' ὦ Ζεῦ καὶ Ἥλιε, τέκνον ἐκ Καλλιρόης τότε μακαριώτερος δόξω τοῦ μεγάλου βασιλέως...'

68) W 243, 1 immerito offendit in voce καί (149, 23) immo est pernecessaria. Praeterea cf., quod supra p. 335 de illa particula disseruimus.

69) Cui rei nimium tribuit W 241, quem secutus est Nab. XXIX 96.

70) Sed ponamus illud a Charitone neglectum esse, ut nobis sit putandum filiolum loqui posse: nonne permirum est infantem in extrema narratione fieri participem rerum gerendarum, quem per totam narrationem noster fecit agentem partes κωφοῦ προσώπου, ut ita dicam,

II. Deinde legentibus nobis mirum videtur, quod ille infans tam diu a matre segregatus quaerit subito, ubi sit mater [71].

III. Postremo legimus in Th patrem infanti imperare, ut statim ad matrem eat cf. col. IV 9 sq.: Σὺ μὲν ἀπέλευσαι, τέκνον, εὐτυχῶς, cum in F respectis verbis quae insunt epistolae (cf. 145, 21) ὅταν ἀνὴρ γένηται, accuratius legatur (cf. 149, 26 sq.) ἀπελεύσῃ ποτέ μοι καὶ σύ, τέκνον, πρὸς τὴν μητέρα.

Utra memoria contineat res aptius compositas, cum vix sit quod exponamus, iam ad percensendum dicendi genus nos convertamus.

hr. immerito offendisse in Florentini θεασάμενος [72]) testis est codex Th. Flosculum Homericum πῆλας ταῖς χερσὶν, quae deest in Th, Charitonis esse et W concedit, qui tamen autumat scribae culpa illum excidisse, qua de re videas infra p. 359, 75 nostrae commentationis. At Wilamowitz καὶ particulam verbo πῆλας praecedentem iubet expungi l. l. p. 33, 1. Quod mihi quidem non probatur. Particulis copulativis nec non adversativis participia non solum variae notionis sed etiam variae formae vel apud veteres scriptores inter se posse coniungi scimus cf. Kr. 56, 14, 1 et eiusdem adnotationem ad Xenophontis anab. I 7, 4. Nonnulla exempla maxime notanda congessit Rad. 177. Cum etiam noster καὶ particulam simili licentia aliis locis adhibuerit [73]), Florentini verba nihil habere offensionis nemo negabit.

---

idque ita ut hominum mores aptius depingi possent? Quid fuerit Charitonis consilium in inducendo illo infante, dilucidius perspicias, si conferas locos 40, 26 sqq., 41, 14 sqq., 44, 6 sqq. 10 sqq., in quibus Callirhoe animo turbata vel ad infantem nondum partum verba facit.

[71]) Hanc et sequentem offensionem iam Wilamowitz protulit l. l.

[72]) Respectu Hom. Il. VI 474 scripserat hr. ἀσπασάμενος. Sed fugit editorem illi verbo nullo nostrae fabulae loco inesse notionem osculandi cf. 8, 26. 61, 2. 87, 1. 90, 7. 118, 31. 145. 22. 151. 27, 32. 152, 28. Addam poetarum versibus nostrum magna cum licentia esse usum, qua de re cf. G. Brambs „Ueber Zitate und Reminiszenzen aus Dichtern bei Lucian und einigen späten Schriftstellern“. Progr. Eichstätt 1888 pag. 61—63, qui suo iure nonnullis locis hr. refutavit.

[73]) Duos locos tractare iuvat, in quibus particulae καὶ inest vis concessiva, quae vocatur. Traditum est * 9, 29 sq. 'ἀηδῶς μὲν', εἶπεν, 'ὦ Χαιρέα, σκυθρωπόν σοι πρᾶγμα μηνύων καὶ πάλαι βουλόμενος εἰπεῖν ὤκνουν'. hr. edidit μηνύω R secutus. καί pro καίπερ positum est ut apud Xen. Memor. II 3, 19 ἀδελφὼ δὲ φίλω ὄντε καὶ πολὺ διεστῶτε, quod doct. Breitenbach recte vertit: „auch wenn sie getrennt sind“. Praeterea cf. Kuehnerum ad l. c. et K.-G. II 85, adn. 8. Interpretor locum illum: „obwohl ich sie dir schon längst sagen wollte“. Addas

At longe aliter se habet res in codice Th. Imprimis laedit oculos legentium id, quod deest in Th flosculus ille Homericus πήλας ταῖς χερσίν. Videamus contingatne nobis indagare vitii fontem. Qui neglegenter[74]) depinxit verba (149, 21) θεασάμενος δὲ τὸ παιδίον *καὶ* πήλας ταῖς χερσὶν ἀπελεύσῃ ποτέ μοι *καὶ* σύ, τέκνον, πρὸς τὴν μητέρα, nonne aberrare potuit a priore καὶ ad alterum? Talequid accidisse veri simile fit ex eo, quod desunt etiam verba ποτέ μοι[75]). Porro, cui postea describenda erat verborum valde mutilatorum series θεασάμενος δὲ τὸ παιδίον καὶ σὺ τέκνον πρὸς τὴν μητέρα, nonne studebat emendare ita, ut sensu iam non carerent? Inde mutatis mutandis effecta sunt, quae legit in Th W. Atque scriba ille ex enuntiato καὶ γὰρ αὐτὴ τοῦτο κεκέλευκεν colligere debuit verba σὺ τέκνον πρὸς τὴν μητέρα responsa esse a Dionysio ad aliquid rogatum, quod cum frustra quaereret, de suo redintegravit scribens ποῦ μοι, πάτερ, ἡ μήτηρ; ἀπίωμεν πρὸς αὐτήν. Nempe infans erat is, qui rogavit, inde θεασάμενος abiit in θεασάμενον, cui verbo obiectum addidit τὸν πατέρα. Porro adiunxit substantivo πατέρα participium loco attributi, quod in codice Th mutilatum est. Edidit W dubitanter ạσοντα, qui idem p. 241 de ἐλθόντα cogitabat. Sẹd rectum ante me vidit Nab. XXIX 97 coniciens κλάοντα[76]).

Restat ut de ἀπέλευσαι brevibus absolvamus. De tali formae portento nil dixisse Wilckenium satis mirumst, neque

---

locum *32,1 ἀλλὰ πάντων ἑστώτων ἐκεῖ *καὶ* κεκλημένων; recepit hr. Jacobsii ὡς; R κεκλιμένων proposuerat a D 306 ad 38,2 laudatum. En hic idem καὶ habes, quod rectum esse testis est O. P. 1019 col. II 29, ubi editores Britt. mirum in modum lapsi sunt. Vertas: „da alle dort standen, obwohl man sie weggerufen hatte“ et omnia sunt sana.

[74]) Tali modo exemplum olim depictum esse iam supra p. 351 sq. vidimus. Praeterea conferas, quod dixit W 229 sq.

[75]) Iam habemus argumentum quoddam illud καί, de quo dubitabat Wilamowitz, certo Charitonis esse. Ceteroquin illum scribam flosculum Homericum omnino non vidisse in suo exemplo persuasum habeo. Contra W p. 242 putat illum scribae neglegentia excidisse atque stetisse intra col. IV versus 8 et 9, ubi verbum dicendi desiderat. Quod falsum esse docent loci 21,23. 55,23. Neque possum accedere Jacobo existimanti (p. 42) pro flosculo πήλας ταῖς χερσίν olim insertum fuisse ab auctore plenum versum. Quo posito, quomodo ille facilius excidere potuerit, equidem non intellego.

[76]) Quem postea laudavit S in Burs. annal. CXXIX (1907) p. 292, qui antea commendaverat παρόντα (cf. Burs. annal. CVIII (1902) p. 275**, quod Croenertus coniecit cf. Arch. f. Papyrusf. I 529. Mittere possumus Jakobi πλησιάσαντα, quod versus spatium nimis excedit.

possumus facere cum Nabero qui l. c. p. 95 ἀπελεύσῃ edidit. Putavit videlicet αι cum ῃ (sive η) mutatum esse, quod exemplis vellem probasset. Aoristi ἀπελευσάμην imperativi unicum inveni exemplum apud Veitchium, qui vir doctus affert p. 276 Hippocratis locum satis incertum. At noster constans est in scribenda forma ἄπελθε[77]).

Quibus omnibus perpensis iterum statuendum est codicem F ab omni parte plus valere quam Th. Praeterea mihi videor demonstrasse gravissimas quas videmus discrepantias deberi scribae, qui minus diligenter scribens complura omisit verba neque exstare duplicem recensionem. Rem sese ita habere mihi quidem vel ex eo apparet, quod codex Th in iis, quae reliqua sunt columnae quartae, in universum congruit cum F, nisi excipias versus 18—20, quorum difficultates simili modo explicandae videntur, ut statim exponemus.

Cod. F 149, 26/27	**Cod. Th col. IV 17—20**
ταῦτα εἰ-	ταῦτα εἰ-
πὼν *σ υ ν ε* σκευάζε-	πὼν *π α ρ* εσκευάζε-
το τὴν ταχίστην *κ α-*	το τὴν ταχίστην *μ ε (ν)*
ταβαίνειν εἰς Ἰωνίαν	*θ α γ α ν*
μ έ γ α νομίζων πα-	νομίζων πα-
ραμύθιον	ραμύθιον

Florentini verba iam W 249 non sine causa praetulit[78]). At codicis Thebani contextus difficultatibus obstructus est, quibus omnibus vix aliquis poterit mederi, praesertim cum quod isto loco maxime dolendum, non aetatem tulerit ille palimpsestus, ut denuo queat inspici. Inde hanc rem brevibus possumus absolvere. Verum quod doctissimus W de Th lectionibus sensit[79]) non probo. Etenim cum verba καταβαίνειν εἰς

[77]) Ne restet dubitatio: et infinitivo aoristi ἀπελεύσασθαι noster se abstinuit, quae forma falso legebatur in editione principe 7, 25 cf. Cob. V. L. 169 et Lob. Phryn. 721. Verum admisit futurum (ἀπ-)ελεύσεσθαι, quod vituperaverunt Phrynichus (37) et Moeris (15) cf. 7, 15. 121, 32. 151, 10, qua de re cf. Gasda 20. Idem apud Lucianum (S I 231) et Teletem (Mueller, H. von, de Teletis elocutione. Diss Friburgi '91 p. 4) invenis, quibus adnumerandi sunt X. E. (cf. 365, 6) A. T. (cf. Sex. p. 12) Hel. (cf. Fritsch I p. 9).

[78]) Συνεσκευάζετο magis quadrare ad nostri stilum recte putat W conferens 140, 11.

[79]) Disserit doct. W. l. c. de hoc loco praeter alia haec: „Er (h. e. der Schreiber) bietet etwas, das auch für ihn völlig sinnlos gewesen sein muß". Quod si ita esset, codex Th minimi aestimandus esset.

'Ιωνίαν nescio cuius scribae incuria omnino desint in codice Th, quod iam in exemplo illius factum esse potest, colligam a scriba sequente totum enuntiatum utpote claudicans mutatum esse ita, ut iam non sensu careret. Cuius rei vestigia videntur relucere e litterarum complexu με(ν) θαγαν male corrupto.

† 149, 28 καὶ πόλεων ἡγεμονίαν F — καὶ π ο λ λ ῶ ν πόλεων ἡγεμονίαν Th IV 22 sq.

Thebani verba esse genuina iam W 250 et Nab. XXIX 97 viderunt et doctissimus R, qua fuit scientia linguae Graecae dudum de ⟨πολλῶν⟩ ὄχλων cogitabat. Ceteroquin vocem π ο λ λ ῶ ν ante π ό λ ε ω ν propter homoiocatarcton facillime excidere potuisse quis non videt?

† 149, 29 ο ἰ κ ή σ ε ι ς F — ε ἰ κ ό ν α ς Th IV 25

Vox εἰκόνας, quam vides in Th scriptam, multo melior est quam lectio Florentina οἰκήσεις. Ut enim Callirhoe levatur consolatione, quam capit e Chaereae imagine (cf. 26, 6. 44, 4. 64, 10. 71, 5. 12), ita Dionysius nostro loco sperat se erectum iri imaginibus Callirhoes, quas habebat Mileti. Confert doct. W 250 locum 60, 1, cui addi possunt 64, 31 et 154, 21. Sed fugit viros doctos omnes dudum D de εἰκόνας cogitavisse, quem conferas p. 626 ad 184, 20. Ceteroquin clausula Thebana rarior est (obstante Heibgesio 82) Καλλιρόης εἰκόνας (C 10. 1,8% VIII: 17[ies]) quam Florentina Καλλιρόης οἰκήσεις (A 5. 3,6 % VIII: 41[ies]).

Quae reliqua sunt columnae quartae usque ad verba ἤνυσε τὸν (149, 31) pertinentis, a F memoria non recedunt. Cum W eas solas Thebani partes transscripsisset, quae lectu erant paulo faciliores, sequentes quattuor columnae in aversa charta scriptae periere[80]). Tamen est notatu dignum contextus illius exstincti ambitum eundem fere fuisse ac codicis F, quam rem W 245 videtur minoris fecisse. Immo inde sequitur, ut in componendis rebus discrepantiae haud fuerint magnae.

Quintae columnae initium valde mutilatum est hoc:

φιλαργ[υρ . . . .]
περημ[. . . . .]

[80]) Ut rem intellegas recte, velim conferas W p. 232. Erant enim illae paginae pilosae, ut ita dicam, quo factumst, ut atramenti vestigia tam essent pallida, ut W venenorum ope non admota — quod peregre non potuit facere, ilico enuclearet fere nihil.

W 246 perspexit coniunctum esse aliquo sententiarum vinculo φιλάργ[υρος[81]) cum loco 151, 11 (θησαυρὸν εὑρών τις χρυσίου) Deinde facio cum Cr.[82]), qui ex syllaba -περ elicuit particulam ὥσπερ.

Tertium posse addi equidem putaverim: litterae ημ pars mihi videntur esse vocis ἡμέρα ut possit suppleri versus 2

ὥς]-
περ ἡμ[έρᾳ ταύτῃ. Ὁ δὲ]

Dativum temporis ἡμέρᾳ ταύτῃ, qui rarius adhibetur a nostro[83]) quam genetivus (cf. 21, 8. 37, 1. 82, 5. 133, 28), hoc loco alteri casui praeferam respecto versus spatio. Ne putes articulum necessarium esse, velim conferas 72, 26. 105, 29 (νὺξ ἐκείνῃ) 36, 5 (Λεωνᾶ με τούτῳ) 38, 32 (Πλαγγόνι ταύτῃ). Accedit quod verborum ἡμέρᾳ ταύτῃ numeri apte cadunt (B 1. 15,8% VIII: 130ies) atque restat, ut moneam locutionem ἡμέρᾳ ταύτῃ respondere breviori τότε F (cf. 151, 12). Postremo in eodem versu exstitisse ὁ δ' mihi certum est neque facio cum W coniciente ex eo, quod δὲ in codice Th post vocem Ἑρμοκράτης (V 3) deest, evadere, ut illa verba alio modo coniuncta fuerint. Florentina lectio est sane nostro usitatior cf. 54, 24. 151, 3. 152, 19. 153, 4 quam Thebana, qua Charito semel usus est cf. 57, 14. Tamen

---

[81]) Φιλάργ[υρος supplevit W. Occurrit ista vox apud Soph. Pl. Xen. Polyb., in N. T[i]. scriptis, apud Plut. Luc. alios. In nostra fabula frustra quaeres.

[82]) cf. Arch. f. Papyrusf. I p. 529; ille v. d. supplevit sic:

οὔτε]
[Θησαυρὸν εὑρὼν χρυ]
[σίου τοσουτόν τις]
φιλάργ[υρος ἐβόα ὥσ]
περ Η Μ

Sed talia nimis incerta habeo.

[83]) Dativus contra 50, 20 comparet. Scimus in Graecitate seriorum temporum tertium casum magis magisque evanuisse (cf. Rad. 42 sq. et saepius), quod item in Charitonem cadit. Duos locos, quibus retinenda erat codicis lectio, breviter perstringam. Legitur * 14, 1 ὄνομα πορθμίου πειρατήριον συγκροτῶν. πορθμίον falsum est cf. I. G. XI, 2, N. 153, 19 p. 34. (297/79 a. c.), sed accusativo R et hr. immerito substituisse dativum docet Hdt. IV, 6 σύμπασι δὲ εἶναι οὔνομα Σκολότους, τοῦ βασιλέως ἐπωνυμίην (quem in locum cf. Stein ad I 14. 18 et S II 37.) Loci 91, 17. 96, 15. 98. 9 non obstant. Porro ter comparet προφάσει: 36, 17. 50, 26. 110, 19; tamen invenimus scriptum * 38, 1 ἐνδιέτριβε τοῖς χωρίοις προφάσεις μὲν ἄλλοτε ἄλλας. Edidit dativum de suo hr., quod facere non debuit, cf. Nab. 197. Nec aliter se habet res in * 79, 6, quem locum alias amplius tractabo.

nolim diiudicare, utrum scribendum sit Ἑρμοκράτης δὲ an ὁ δ' Ἑρμοκράτης. De locutione λόγου κρεῖττον, quae Thucydidi debetur[84]), dubito an fuerit in palimpsesto (cf. infra pag. 374). Illam Charitonis esse pro certo habeo, quippe quae optime quadret ad stilum nostri talia adamantis. Ceteroquin timeo, ne scriba ille parum diligens quartum turbatus sit, quod οὔτε particula ter comparet (cf. supra p. 351 sq. et p. 359).

Cod. F 151, 15—17	**Cod. Th col. V 5—11**
καὶ περιπτυξά-	καὶ περιπτυξά-
μενος τὴν θυγατέ-	μενος τὴν θυγατέ-
ρα εἶπε 'Ζῇς, τέκνον.	ρα 'Ζῇς, τέκνον', ε ἶ π ε,
ἢ καὶ τοῦτο πεπλάνη-	'καὶ τοῦτο πεπλάνη-
μαι;' 'Ζῶ, πάτερ, ν ῦ ν	μαι;' 'Ζῶ, πάτερ', ε ἶ π ε ν,
ἀληθῶς, ὅτι σε	'ἀληθῶς, ὅτι σε ζ ῶ ν τ α
τεθέαμαι.'	τ[εθέαμαι].'

Quas discrepantias, cum difficiles sint diiudicatu, singulas perstringam.

I. Primum invenis in codice Th verbum εἶπε orationi directae insertum, cui alterum respondet εἶπε responso immissum. Verum in codice F illud εἶπε ante orationem directam est positum, cum hoc alterum omnino non adsit. Cur praeferamus codicem F, statim exponemus. Habemus duos locos in nostra fabula, e quibus apparet a Charitone rem ita institutam esse, ut brevibus verbis — factis ab hominibus animis perturbatis, quorum alter in alterum incidit — non intercalaret verbum dicendi εἶπεν. Legimus 137, 20, ubi Chaereas vidit Callirhoen primum post causam apud Persarum regem actam, verba haec: καὶ ἀμφότεροι συνεβόησαν· 'Χαιρέα', 'Καλλιρόη' et nonnullis versibus infra 138, 1 μίαν φωνὴν ἀφέντες· 'ἔχω σε εἰ ἀληθῶς εἶ Καλλιρόη.' 'εἰ ἀληθῶς εἶ Χαιρέας'. Utroque loco verbum dicendi a n t e orationem directam vides positam. Eiusdem verbi numerus pluralis propterea rectus est, quia amborum animi eodem modo excitati sunt; quod non cadit in Hermocratem. Is enim per totam fabulam fingitur vir, qui ne in summo quidem rerum discrimine mente concidat[85]). Inde

[84]) Cf. Thuc. II 50, 1 et Guil. Werner: De Libanii studiis Herodoteis. Diss. Vratisl. 1910. pag. 91. Quae locutio nisi nostro loco apud Charitonem non comparet.

[85]) Cf. 12, 15 sq. 57, 30 sqq. 58, 30.

nostro loco iure ac merito numerus comparet singularis. Alterum vero εἶπεν in codice Th scriptum a nescio quo sciolo ad rhetorum rationes additum videtur[86]).

II. Deinde deest in Th ἢ ante καὶ particulam. Florentinam lectionem iam W 250 defendit comparans 101, 28. Eundem usum novimus e N. T.[i] scriptis cf. Bl.-D. § 446 p. 259, qui affert Luc. 18, 11. Inde falsus erat hr. καὶ post ἢ expungens (praeterea cf. D 629 ad 186, 16).

III. Postremo invenis in Th post ὅτι σε insertam formam verbalem ζῶντα. W Thebanum praeferentem nequeo sequi. Tum enim ipsam profecto inter vivos esse Callirhoes solum interest patri persuadere. Quod ut efficiat edit verba: Ζῶ πάτερ νῦν[87]) ἀληθῶς ὅτι σε τεθέαμαι[88]). Affirmans igitur patri se illum videre Callirhoe sperat fore ut sibi contingat illi omnes dubitationes eximere. At participium ζῶντα, quod supervacaneum, nisi ad rhetorum rationes non est additum[89]).

151, 17

ἐχεῖτο μετὰ χαρᾶς F	με⟨τ⟩ὰ ⟨χ⟩α[ρᾶς] ἐξεχεῖτο	Th V 12/13

Sententiam Wilckenii, qui putat Th praestare, Heibges 82 fulcire conatus est ex eo, quod Thebani clausula ἐξεχεῖτο (B 1. 15,8% VIII: 130ies) Florentini ἐχεῖτο μετὰ χαρᾶς (D 3. 1% VIII: 13ies) longe superat. Res est eiusmodi: Charito verbum simplex non adhibuit nisi proprio sensu cf. 138, 12 καὶ οἶνοι καὶ μύρα πρὸ τῶν ποδῶν ἐχεῖτο, cuius eiusdem generis est locus noster. Contra verbo composito [90]) metaphorice est usus cf. 89, 28 ἐξεχεῖτο δὲ πᾶσα Βαβυλὼν ἐπὶ τὴν θέαν et 129, 23 καὶ

---

[86]) Ut magis fiat res perspicua, illa ad verbum sibi respondentia seorsum adscribam:

'Ζῇς, τέκνον,' εἶπε
'Ζῶ, πάτερ,' εἶπεν.

[87]) Illud νῦν, quod saepius adverbio ἀληθῶς additur (cf. 104, 16. 115, 26. 134, 31) male omisit Th.

[88]) Et conferri potest epistulae locus 145, 22 καὶ πέμψον αὐτὸν εἰς Συρακούσας, ἵνα καὶ τὸν πάππον θεάσηται.

[89]) Velim iterum compares 138, 1, ubi verba ἔχω σε in altero responso non invenis repetita et nostrae comm. supra pag. 347.

[90]) Quod maxime poetis usitatum cf. Hom. Ap. Rhod. Posidon. Athen. (e. g. V, 13 p. 212 C ἐξεκέχυτο τὸ πλεῖστον μέρος τῆς πόλεως) Joseph. Synes. cf. Thes. III 646 B. — Ceteroquin non ignoro apud Platonem legi in symp. 215 E καὶ δάκρυα ἐξεχεῖτο ὑπὸ τῶν λόγων τούτου.

ὄχλος ἄτακτος ἐξεχεῖτο διὰ τῆς πύλης βουλόμενος θεάσασθαι τὸ συμβεβηκός. Considerantibus nobis in codice F δάκρυα et χαρᾶς, voces sibi contrarias, haud inepte positas legi in initio et in fine enuntiati, quod iam supra factum esse 149, 17 (cf. pag. 349, 47) vidimus, minus placebit memoria Thebana.

* 151, 18 ἐπικαταπλεῖ ταῖς ἄλλαις τριήρεσιν F et Th

Cum altera memoria cum altera consentiat, iam non erit dubium, quin hr., dudum vituperatus a Cobeto VIII 302, frustra inseruerit praepositionem σὺν ante ταῖς. Accedit quod vel apud veteres scriptores idem dativus comparet saepius cf. Kr. 48, 9 [91]). Ut omnem dubitationem tollam, apponam Diodori XVI 68, 5 ἐπικαταπλευσάντων δὲ καὶ τῶν Καρχηδονίων εἴκοσι τριήρεσιν.

F 151, 20/21	**Theb. col. V 1 8**
διὰ τὸ *μηκέτι* Χαιρέαν ἄλλῳ τινὶ σχολάζειν δύνασθαι πλὴν *Καλλιρόῃ μόνῃ*.	διὰ τὸ *μὴ* Χαιρέαν ἄλλῳ τινὶ δύνασθαι σχολάζειν πλὴν *μόνῳ τῷ Καλλιρόης συνεῖναι κάλλει*.

Codices longius distare inter se vides. W, qui 250 Florentini μηκέτι commendat, ceteras discrepantias ita explicat, ut ampliorem memoriae Thebanae contextum a Florentini scriba in breviorem formam contractum esse statuat. Quae res etsi facilis non est diiudicatu, tamen Thebanae lectiones mihi videntur dubiae. Primum mihi displicet duos infinitivos, per articulum loco substantivi positos, tam brevi spatio se sequi [92]). Deinde valde dubito, sintne genuina verba μόνῳ τῷ Καλλιρόης συνεῖναι κάλλει. Etenim intellegimus, cur noster similem in modum ludat verborum sono 12, 24: θάψωμεν Καλλιρόην ἔτι καλήν [93]). At nostro loco talequid non desideratur. Inde illa verba rhetori attribuam, qui istam glossam adscripsit ad explicandam Florentini locutionem brevem: Καλλιρόῃ μόνῃ.

151, 22 ταχέως *δὲ* F ταχέως *οὖν* Th V 23.

---

[91]) Tamen non praetermittam hic illic a pristinis auctoribus praepositonem poni cf. Kr. 48, 11, 15.

[92]) 40ies vidi tales infinitivos sed nusquam alter sequitur alterum. De re ipsa cf. S III 82. IV 84. 618.

[93]) Aeque bene dictum est 102, 24: φόνου τοῦ κάλλους ἐραστὴς ἦν.

Neque hoc neque illud rerum conexu reicitur. Tamen malim sequi Th, quod idem fecit W 254.

Congruit in sequentibus F cum Th; inde apparet et Naberum (VI 262: σχῆμα ⟨ὅμοιον⟩ τ ῷ μετὰ) et Schmidtium (125: καὶ ἦν ⟨εἰκὼν⟩ ἐκεῖνο τὸ σχῆμα τ ο ῦ μετὰ) frustra de memoria (151, 22 sq. καὶ ἦν ἐκεῖνο τὸ σχῆμα τὸ μετὰ) dubitavisse. Iam accedamus ad sextam columnam:

F 151, 26/27	**Th col. VI 6—10**
τῶν ἀπὸ τῆς θα-	[. . . τῶν ἀπὸ τῆς θα-]
λάσσης τοὺς ἀπὸ γῆς	λά[σσης τοὺς ἀ π ὸ γῆς]
ἀσπαζομένων *κ α ὶ*	ἀσπαζ[ομένων, *τ ῶ ν]*
π ά λ ι ν ἐ κ ε ί ν ω ν τ ο ὺ ς	*δ ὲ ἀ π ὸ τ[ῆ ς γ ῆ ς τ ο ὺ ς]*
ἐ κ θ α λ ά σ σ η ς	*ἐ ν τ α ῖ ς τ ρ ι [ή ρ ε σ ι ν]*

Iterum [94]) putat W 246 codicem F nihil continere nisi codicis Thebani verba in angustum coacta. Verum qui utramque inspexerit memoriam, primo obtutu videbit codicem F nostro loco fere tot praebere verba quot Th. Porro equidem sentio de Florentini memoria haec: In priore parte enuntiati repetita est praepositio ἀπό (cf. 151, 26 αἱ φωναὶ τῶν ἀ π ὸ τῆς θαλάσσης τοὺς ἀ π ὸ γῆς ἀσπαζομένων). Adde quod locutiones τῶν ἀπὸ τῆς [95]) θαλάσσης (151, 26) et τοὺς ἐκ θαλάσσης (27) sese excipiunt [96]). Quas responsiones desideras in codice Th. Attamen gaudeo, quod palimpsestus, qui exaravit versu 9 τῶν] δὲ ἀπὸ τ[ῆς γῆς] testis est, Hercherum falso secutum esse R flagitantem ἐπί in * 151, 26 [97]). Etenim satis constat et adverbia [98]) et praepositiones, quibus situs et motus significatur,

---

[94]) Cf. quae exposuimus supra pag. 365 ad 151, 20 sq.

[95]) Articulum in talibus locutionibus modo poni modo omitti nil refert (cf. supra pag. 343.). Doct. S IV 66 congessit exempla huius usus ex atticistarum scriptis. Etiam eadem res est in N.T.[1] libris cf. Bl.-D. § 255 et § 257, 3 p. 148/9. Quare si contuleris Charitonis 29, 11 ὑπὸ κάλλους vel 89, 16 ἐπὶ κάλλει cum 89, 3 ἐπὶ τῷ κάλλει; sive 129, 23 διὰ πύλης cum 130, 1 εἴσω τῶν πυλῶν, neque offendes in nostro loco neque corrigendum esse censebis *6, 22: ὁ μηδὲν ὑπὲρ γάμου πονήσας in ὑπὲρ⟨τοῦ⟩ γ. π. quod fecit hr. respectu, ut videtur, loci 46, 1. cf. etiam Buettner-Wobst in Berl. phil. W. XII (1892) p. 749.

[96]) De chiasmo infra erit dicendum cf. pag. 375, 132 huius commentationis.

[97]) Decepit editio Hercheriana Wilckenium, qui falso supplevit ἐπί.

[98]) Quae etsi mittere possumus, tamen liceat brevibus tractare unum locum, qui ad nostrum aliquid facit. Legimus 20, 14 ἐλπίζω δὲ αὐτόθεν εὑρήσειν καὶ γνωρίμους. Gasda 34 αὐτόθι scribi iubet respectis locis 19, 24 et 86, 30, quod frustra fecit cf. Lob. Phryn. 128. Praeterea inspicias Sex. 24 et S III 59.

valde inter se confundi a scriptoribus posteriorum temporum [99]). Quorum in societatem nostrum venire eo minus est mirum, quod eiusdem licentiae vestigia habemus apud veteres [100]). Ut brevis sim: nostro loco praepositionem ἀπὸ adhibitam invenis ad vicem praepositionis ἐπί. Eadem est res 16, 11 τοὺς ἀπὸ γῆς ἁρπάσαντες, quod potest conferri cum Aeliani n. a. ἁρπάζει τοὺς ἀπὸ γῆς ἑστῶτας τῆς πλησίον, quem locum debeo doct. S III 59. Neque praetermittam [101]) vel Herodotum admisisse VIII, 94 τοὺς ἀπὸ τοῦ κέλητος λέγειν τάδε. Nec aliter res se habet in locutionis τοὺς ἐκ θαλάσσης praepositione ἐκ, quae loco ἐν est posita. Conciliavit sibi eundem usum vel Thucydides scribens VI 32, 2 ξυνεπεύχοντο δὲ καὶ ὁ ἄλλος ὅμιλος ὁ ἐκ τῆς γῆς. Atque ignorat nemo illud Ev. Lucae (cf. 11, 13) ὁ πατὴρ ὁ ἐξ οὐρανοῦ [102]). Quibus omnibus perpensis tales locutiones nihil habere offensionis nemo negabit. Voces e contrario sese excipere accuratius apparet ex eis, quae leguntur in codice Th. Attamen ut talia rhetoris magis quam Charitonis sint, evadit ex eo, quod observavimus supra p. 347 et 364. Adde quod πάλιν Florentini, quod deest in Th, nostro usitatum est (cf. 33, 18. 152, 25). Restat, ut moneamus Thebanam clausulam ταῖς τριήρεσιν (D 1.4% VIII: 34ies) multo rariorem esse, quam Florentinam ἐκ θαλάσσης (A 1. 22,3% VIII: 195ies).

151, 28 sq. εὐφημίαι τε καὶ ἔπαι-	εὐφημίαι [τε καὶ ἔπαι-]
νοι καὶ συνευχαὶ πυκναὶ	νο[ι] καὶ εὐχα[ὶ
παρ' ἀμφοτέρων πρὸς	πρὸς]
ἀλλήλους	ἀλλήλους
	Th VI 11—14

Ex hoc loco dilucide apparet, quam neglegenter Thebani vel eius exempli scriba depinxerit. Ut vox πυκναὶ per homoioteleuton, ita locutio παρ' ἀμφοτέρων, nostro usitatissima [103]),

[99]) Cf. S IV 613 Rad. 55. Win. 439. Bl.-D. § 103 p. 63 et § 209, 2 p. 126 et § 437 not. pag. 252.

[100]) S IV 613 not. 34. Bernh. 208 sqq. Meisterh. 215 no. 19–21. Kr. 50, 8, 13.

[101]) Liceat afferre nonnulla, quae cummaxime debeo D 263 ad 18, 4 et 631 ad 187, 3 cf. Diod. XII 16, 5 ἅμα δὲ καὶ τῆς κραυγῆς τῶν ναυμαχούντων καὶ τῶν ἀπὸ γῆς συμφιλοτιμουμένων (τῇ κραυγῇ Wess. Vog.). Luc. dial. mort. X 12 (I 375 R) ἀλλὰ μεχρὶ λόγων, εἰ κραυγή τις ἀκούεται, ὥσπερ τινῶν ἀπὸ γῆς βοώντων; X. E. *339, 22 βοὴ δὲ τῶν ἀπὸ τῆς γῆς πολλὴ καὶ τῶν ἐν τῇ νηὶ συμμιγής quem locum hr. immerito immutavit.

[102]) Affert doct. Sex. 68 ex A. T. 90, 30 οἱ δὲ ἐκ τῆς ἐφολκίδος.

[103]) 18 locorum, quibus illam locutionem vidi, imprimis conferendi sunt hi: 23, 13. 44, 19. 152, 25.

similitudine litterarum ΠΑΡΑΜ et ΠΡΟΣΑΛΛ excidere potuit. Compositum συνευχαί nisi apud nostrum[104]) comparet apud nullum, quantum scio, scriptorem (cf. Thes. VII p. 1362 A.). Verum illi scribae compositum plane insolitum fuisse equidem putaverim[105]).

151, 29	ἧκε δὲ		ἧκε δ[ὲ με-]
			ταξὺ φερόμενο[ς]
	καὶ ὁ Χαιρέου πατήρ	F	καὶ ὁ Χαιρέου πατ[ήρ]
			Th VI 13/15

Recepit W 246 Thebani verba μεταξὺ φερόμενος. Qui vir d. cum suam sententiam argumentis non confirmaverit, nostrum est utriusque codicis lectionem accuratius examinare. Res est eiusmodi: Aristoni Charito fere nullas tribuit partes[106]). Narrat illum de scala delabi 7, 21, inde a quo loco fingitur esse vir ad aegrotandum proclivis. Atque cum Callirhoe sepeliretur utpote mortua, ille tanto morbo affectus est, ut ipse ambulare nequiret, immo a servis portari debebat cf. 13, 12 ἐφέρετο δὲ καὶ Ἀρίστων ἔτι νοσῶν. E codice Thebano discimus invalidum illum senem morbo nondum esse defunctum, quod optime conspirare cum totius operis compositione nemo, autumo, est qui neget. Consulto enim Aristonis imbecillitas opponitur vigori Hermocratis.

† 151,30 ἐπεκλύοντο F ἐπεκυλίοντο Th VI 18. Iterum Thebanus superat Florentinum, cuius lectionem esse pravam omnes intellexere[107]). Verbum ἐπικυλίεσθαι, quod

---

[104]) Praeterea occurit 107, 26. Eodem sensu a nostro adhibetur simplex εὐχαί cf. 58,8. 99,15. 146, 25. 156, 17. In transcursu moneo falsum esse W 246, 1, qui καὶ συνευχαί item scribere mavult 58, 8 pro καὶ εὐχαί putans vocalium concursum tollendum esse. At noster non tam anxie hiatum evitavit, ut illum non admitteret post particulam καί (cf. S. I 58). Ceteroquin hiatus 148, 24 διηγήσατο αὐτῷ item invenitur in Th I 13.

[105]) Ceteroquin fieri potuit, ut praepositio συν —, quippe siglo quodam notata, effugeret librarium. Quae res statuenda est in † 72, 28, ubi in codice F legitur ἀπαγόμενος, quod sane minus elegans quam payri Fayûm 1 col. II 12 συναπαγόμενος. Compositum e Xenophontis Cyrop. VIII 23, 3 et Hell. V 1, 23 notum saepius in N. T. [1] scriptis occurrit cf. Thes. VII p. 1221 A. Charitonem igitur, qui Xenophontis verba multa recepit atque composita cum συν-praepositione ficta amavit (cf. 71, 27. 74, 10, 123, 20) συναπαγόμενος scripsisse mihi quidem certum est.

[106]) Loco 3, 17 eundem commemoratum invenis sed modo propterea, quod pater est Chaereae.

[107]) Reiskii ἐπεκελεύοντο probatum est ab H et hr.

demum novimus e scriptis auctorum temporum posteriorum [108]), hoc loco adhibetur de iuvenibus Chaeream appetentibus, ut quam celerrime salutent. Talem superlationem ad Charitonis stilum quadrare iam supra pag. 347 vidimus. Restat, ut moneamus a doctissimo D 631 ad 187, 6 praeter alia idem ἐπεκυλίοντο propositum esse.

Priusquam accedimus ad reficiendam columnam sextam extremam, quam rem confici posse non diffidimus, nostrum est emendare codicis F lectionem † 152, 1 ἔδοξε δὲ ἔτι καὶ αὐταῖς Καλλιρόην γεγονέναι, quam claudicare negabit nemo. Primum pro καὶ scribendum esse καλλίων doct. R vidit [109]), cuius coniectura valde fit probabilis ex eis, quae agnovit W in cod. Th. col. VI 25. Deinde rectum esse Hercherum corrigentem αὐταῖς in ἑαυτῆς probabile fit enuntiato consecutivo ὥστε ἀληθῶς εἶπες ἄν. Etsi comparativus cum genetivo pronominis reflexivi a nostro semel tantum copulatus est (cf. 94, 28), tamen idem et nostro loco rectum esse puto: adamant enim istam constructionem atticistae cf. S I 92. II 45. III 60. IV 61. 613 [110]). Postremo doct. Wilamowitz l. c. 33, 1 Καλλιρόην dittographiam [111]) expungendam commendavit respectu 151, 32 [112]), cui adstipulor. Inde mihi certum est e F codicis verbis corruptis elicienda esse genuina haec: ἔδοξε δὲ ἔτι [113]) καλλίων ἑαυτῆς γεγονέναι

Thebani contra versus W edidit sic (cf. col. VI 23—27):

ἔδο]-
ξεν δὲ ὡς [ἀ]⟨λη⟩[θῶς ἔτι]
καλλείων [. . . . .]
νηντην (?) [ἀναδυο]-
μένην [ἐκ τῆς θαλάσ]-
σης

[108]) cf. Pol. III 53, 4. Diod. XIX 19, 6. Plut. Mor. 831 E (Thes. III p. 1662 D).

[109]) Neglexit hr. in adnotatione critica καλλίων Reiskio deberi, codicem contra καὶ praebere cf. ed. Par. 500, 27.

[110]) W contra 247 codicis lectionem defendendam putabat conferens A. T. 169, 13. Sed l. l. e sententiarum conexu facillime suppletur: „quam pridie“ vel talequid. Inde ille locus ad nostrum nil valet.

[111]) De eodem vitio supra pag. 343 dictum est.

[112]) Doct. R. nominativum malit scribere.

[113]) Quam particulam exstingui iussit Cob. VIII 302.

Litterarum seriem νηντην dubiam esse indicat editor ipse. At minutissima mutatione scribentes Διτην την facile agnovimus partem vocis Ἀφροδίτην, quae optime quadrat ad loci sententiam. Ante nomen proprium praepositione ὑπὲρ inserta mutilatus versus 25 sat est suppletus atque apte emendatus; inde non dubito quin olim columnae finis fuerit hic:

ἔδο-]	
ξεν δὲ ὡς [ἀ]λη[θῶς ἔτι]	16 litt.
καλλείων [ὑπὲρ Ἀφρο]-	16 „
δίτην τὴν [ἀναδυο]-	14 „
μένην [ἐκ τῆς θαλάσ]-	15 „
σης	

Nostris supplementis comparatio significantius exprimitur quam eis, quae proposuit Cr., qui et altera de causa non est laudandus [114]). Duo sunt notatu digna, quae de genere dicendi addam: Praepositionem ὑπὲρ cum comparativo copulari, quae constructio, spreta a nostro [115]), genitivo comparativo substituitur, scimus e N. T.i scriptis (cf. Bl.-D. § 185, 3 p. 110 sq.) Deinde de locutione Ἀφροδίτην τὴν ἀναδυομένην moneo: saepius fieri, ut verba loco attributi posita, quae ipsa praedita sunt articulo, nomen sequantur articulo carens. Cuius rei exempla congesserunt S III 63. IV 67 et Sex. 25. E nostra fabula afferam haec: 32, 2 sq. ἀνὴρ ὁ πρῶτος τῆς Ἰωνίας. 47, 17 υἱὸν ἐμαυτοῦ τὸν Ἑρμοκράτους ἔκγονον. 78, 9 τριήρη τὴν καλὴν τὴν στρατηγικὴν τὴν τοῦ πατρός. 118, 1 δῶρα τὰ κάλλιστα. Similiter est dictum δύο τὰ προτρεπτικώτατα 125, 6 [116]).

Jam comparemus emendatum utrumque codicem.

---

[114]) Cf. Arch. f. Papyrusf. I 529 n. 25.

καλλείων [καὶ ὑπὲρ ἐκεί]-
νην τὴν [ἀναδυο]-
μένην . . .

quae versus spatium excedunt nimis, quod idem cadit in W 247, cuius sententiam nequeo probare, nam numerus litterarum columnae VI ita variat, ut neque plus 17 neque minus 13 contineat. At columnae VII/VIII ad nostram nil attinent cf. W. 229.

[115]) Cum illa constructione affinitate quadam coniunctus est usus metaphoricus praepositionis ὑπέρ c. acc. copulatae, quod admisit Charito cf. e. g. 11, 30 ὑπὲρ ἅπαντας ἐδημοκόπουν et 36, 29. 70, 28. 74, 12. qua de re cf. Kr. 68, 29, 2. S IV 46, 7.

[116]) Cf. Mueller, praef. ad Galeni script. min. vol. II. p. LXXVI.

F emendatus 152, 1—3	**Th emendatus VI 23—28**
ἔδο-	ἔδο-
ξε δὲ ἔτι καλλίων	ξεν δὲ ὡς ἀληθῶς ἔτι
ἑαυτῆς γεγονέναι	καλλίων
ὥστε ἀληθῶς εἶ-	
πες ἂν αὐτὴν ὁρᾶν	ὑπὲρ Ἀφρο-
τὴν Ἀφροδίτην ἀναδυο-	δίτην τὴν ἀναδυο-
μένην ἐκ τῆς θαλάσ-	μένην ἐκ τῆς θαλάσ-
σης	σης

Codicis F verba in codice Th in summarium vides coacta[117]), quod qua causa factum sit, vix cuiquam contingat enucleare. Ne quis dubitet de Florentini τὴν Ἀφροδίτην ἀναδυομένην, affirmem talia attributa carere posse articulo, cuius rei exempla invenis apud S IV 66. E nostra fabula cf. 99, 23 τὸ ἆθλον βλεπόμενον[118]).

† 152,5 παραλάβετε ἔφη F παραλά[β]εται[119]) φησίν Th VII 2/3.

Hanc discrepantiam, quae non minus minuta est quam difficilis diiudicatu, in medio reliquit W. De verbi φησὶν sive ἔφη orationi directae intercalatae usu statui haec: Comparet forma φησί, qua noster multo saepius utitur, 114ies post vocalem, 16ies post consonam; ἔφη contra 17ies post consonam, ter post vocalem[120]). Verum post eas verborum formas, quarum ultima littera potest elidi, si excipias locum nostrum, nusquam comparet forma ἔφη[121]). Itaque Thebani lectio mihi magis arridet.

† 152, 6 ἀργύριον καὶ χρυσὸν ἀναρίθμητον F ἄργυρόν τε καὶ χρυσὸν ἀναρίθμητον Th VII 7/8

[117]) Florentini verba e Charitonis fluxisse calamo vix est quod commemorem cf. 35, 16. 92, 5. 105, 27.

[118]) Inde sequitur, ut falsus fuerit hr. articulum inserens de suo † 72, 17 οἱ γὰρ κύνες φυλάσσοντες, quod dudum vituperavit Cob. 238. Accedit quod e Pap. Fay. I 21 elicienda est eiusdem Cobeti coniectura ὑλάσσοντες, quam commendem respecto loco 111, 27.

[119]) Idem vitium vides col. IV 15 ubi καινή (i. e. κενή). Legitur in papyri, quae est de Parthenopa et Metiocho, lin. 9: ναίος (i. e. νέος) et in Dictyd. pap. 3 παιδίον (i. e. πεδίον). 90 ὀσταία (pro ὀστέα). Praeterea cf. Mayr. 107. Witkowski, ep. priv. graec.² p. 144. Contrarium vitium supra pag. 348, 45 commemoravimus.

[120]) Qui loci sunt hi: 122, 28 post ἐγώ. 142, 11 post τί. 14, 27 post παῦσαι (in pausa); quibus adnumerandi sunt loci tres, quibus vocales possunt elidi cf. 24, 9 et 36, 19: δέ et 110, 30: γέ.

[121]) E. g. cf. 14. 30. 66. 17. 73. 12, 17. 101, 26. 108, 8. 132, 5.

ἄργυρον iam hr. pro Florentini ἀργύριον suo iure edidit. Exemplis ab illo praef. p. XV prolatis addam 14, 30 et 15, 18. At utrum τὲ καὶ an καὶ Charito scripserit, vix queat certo diiudicari, cum hoc (cf. 14, 30 et 21, 1) non minus quam illud (cf. 13, 16 et 15, 18) apud nostrum occurrat. Considerantibus verum nobis iam 148, 26 (cf. supra pag. 337) Thebanam memoriam in eadem re praestare iterum τὲ καὶ magis placet.

Maiores sunt discrepantiae in sequentibus.

F 152, 7—10	**Th col. VII 9—18**
εἶτα ἐλέφαντα	καὶ ἐλέφαντα
καὶ ἤλεκτρον καὶ	καὶ ἤλεκτρον καὶ
ἐσθῆτα καὶ πᾶσαν	ἐσθῆτα καὶ πᾶσαν
ὕλης τέχνης τε πολυτέλει-	πλούτου πολυτέλ[ει]-
αν ἐπέδειξε Συρ-	αν, ἐπιδεῖξαι δὲ Συ-
ρακουσίοις καὶ κλίνην	[ρα]κοσίοις καὶ κλείνη(ν)
καὶ τράπεζαν τοῦ με-	[καὶ]τράπεζαν τοῦ με-
γάλου βασιλέως	[γά]λου βα[σι]λέως καὶ
	[ε]ὐνούχους καὶ παλ-
ὥστε . . .	[λ]ακίδας, ὥστε . . .

Iterum in codice Th invenis subordinationem positam ad vicem coordinationis Florentinae. Quod non fortuna sed consulto factum esse nemo negabit neque est quod de ea re verba faciamus, cum supra pag. 341 demonstraverimus structuram Herodoteam fluxisse e Charitonis calamo: Hoc dico nostro loco verbum finitum consilio atque ratione positum videri, quo raris rebus atque admirabilibus, quas Chaereas ex Asia reportavit, plus ponderis accederet. εἶτα particulam recte tutatus est W p. 247, quod idem vitium Thebani in col. III 6 (149, 11) supra statuendum erat[122]). At vituperat W collocationem verborum κλίνην καὶ τράπεζαν τοῦ μεγάλου βασιλέως. Immo illis ipsis multum tribuitur a nostro. Significant enim regis Persarum res, quas Chaereas victor spolia rettulit. Inde illa verba optime claudunt agmen. Unicam vocem πλούτου in Th substitutam esse verbis ὕλης τέχνης τε πολυτέλειαν mittere possumus, nam W recte de ea re iudicavit (cf. p. 247 sq. [123]).

[122]) Cf. etiam 17, 18 sq. ἐκέλευσεν — ἀποστῆναι — εἶτα βουλὴν προῦθηκε. Ceteroquin non est quod commemorem δὲ particulam ad Florentini verba non quadrare.

[123]) Cf. etiam D 632 ad 187, 14.

Sed utrum verba καὶ εὐνούχους καὶ παλλακίδας e Th sint recipienda, quaestio est. W, qui Th praefert, confert locum 121, 23. Verum hoc velim consideres: Illic nobis narrat auctor, quanta impedimenta et quot calones rex Persarum eiusque centuriones secum solant agere, cum ad bellum proficiscantur, atque enumerat praeter alios 121, 22 sq.: καὶ εὐνούχους καὶ παλλακίδας καὶ κύνας καὶ τραπέζας καὶ πλοῦτον πολυτελῆ καὶ τρυφήν. Atque l. c. noster nihil agit, nisi ut nobis ante oculos ponat, quantopere effeminati sint Persarum mores, quanta fuerit aulae regiae luxuria. Ibi igitur εὐνοῦχοι καὶ παλλακίδες recte se habent. Nostro vero loco res alium in modum sunt compositae. Enumerantur opes Magni Regis, quas spolia rettulit Chaereas. Quas postquam Charito quasi cumulavit praedicans lectum atque mensam Magni Regis [124]), num profecto addidit eunuchos et concubinas? Immo illi iure ac merito non sunt commemorati in codice F, quia abhorrent a totius loci sententia [125]). Quare suspicer interpolatori illa verba deberi.

Postremo tangamus subdifficilem quaestionem orthographicam. In codice F modo Συρρακούσιος modo Συρακούσιος legitur, cum in codice Th VII 13/14 Συ[ρα]κοσίοις viderit W. E titulis, quos collegi, evadit, ut usque ad annum a. C. n. fere 180 sola forma Συρακόσιος exstiterit [126]). At ου diphthongus in illis hucusque non est deprehensa, nec aliter se habet res in nummis [127]). Etsi e codicibus posteriorum nihil certum potest colligi (cf. Cr. 94, 4), tamen probabile fecit Cr. l. c. formam Συρακούσιος ad Byzantinorum vergere studia ex eo, quod Epicurei ad lapidum normam scripserunt; quorum in societatem cum codex Th veniat, mihi quidem iam non dubium est, quin brevior forma Charitonis sit [128]).

152, 15 sq. *καὶ ἰδεῖν καὶ ἀκοῦσαι* F *καὶ βλέπειν* καὶ ἀκούειν Th VIII 1/2

---

[124]) Locutionem τοῦ μεγάλου βασιλέως non βασιλέως (cf. supra pag. 342) consulto bis poni (cf. 152, 5 et 9) manifestum.

[125]) Adde quod ὥστε in codice F bene sequitur ea, ad quae est referendum.

[126]) Cf. Cr. 94, 4 Head. Hist. num. [2] p. 184—187.

[127]) H atticam formam suo Marte ediderat, hr. contra Συρακούσιος defendendum putavit; Heibgesium vero, qui clausularum respectu Byzantinorum formam genuinam habebat, laudabit nemo.

[128]) Cf. SIG. [3] 34, 3 (= 479 [a]); 163, 36 (368/7 [a]); 427, 3 (270 [a]); 428, 1 (post med. saec. III [a]); 492, 15 (= 232 [a]); 629, 29 (182 [a]); SIG [2] 588, 74 (= ca. 180 [a]), quibus adde IG XII 5, 1 444 p. 109 M. P. epoch. CXIII.

Cum W 254, cur Thebani tempora praesentia praeferret, nusquam exposuerit, nostrum est rem brevibus tractare. Posteriores scriptores scimus variis temporibus non ea diligentia uti qua veteres. Atque in lingua volgari aoristi modi magis magisque praesentis superaverunt [129]). Quod idem in Charitonem cadit. Verum hr. nostri verborum contextum ad atticorum rationes immutans saepius falso induxit praesentis modos [130]). Sequitur, ut Florentina memoria genuinam servaverit lectionem.

F 152, 16—17	**Th col. VIII 2—6**
λόγου δὲ θᾶττον ἐ-	*ἐπὶ δὲ ἐ-*
πληρώθη τὸ θέατρον	[πληρώθη τὸ θέα]τρον
ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν.	[ἀνδρῶν τε καὶ γυναι]κῶ(ν)
εἰσελθόντος *δὲ* μόνου	εἰ[σ]ελθόντος μόνου
Χαιρέου . . .	[Χαι]ρέου . . .

En tertium comparet in codice Th subordinatio a W 248 immerito iterum laudata, qua de re conferas, quod p. 341 et p. 372 dictum est. Sat est affirmare δὲ particula enuntiata inter se centies conexa inveniri apud nostrum e. g. cf. 152, 1. 4. Praeterea deest in codice Th locutio λόγου θᾶττον, quae certo Charitonis est cf. 49, 31. 130, 3.

152, 18 *πᾶσαι*	*καὶ πάντες*
καὶ *πάντες* ἐπεβόησαν F	καὶ *πᾶσαι* ἐπεβόησαν
	Th VIII 6—7

W, qui 248 dubitat de καὶ particula iterata, collocationem verborum Thebanam laudat. Immo illa repetitio per se nil habet offensionis, quod potuit ille v. d. intellegere e praecedente καὶ ἰδεῖν καὶ ἀκοῦσαι, cui loco addas 66, 6. 93, 29. 136, 5. 144, 19. 156, 6 [131]). Verum cum brevi ante legamus ἀνδρῶν

---

120) Cf. Rad. 123, qui disserit haec: „Die letzte Konsequenz aber, die keinem Beobachter entgehen kann, ist doch die, daß die Modi des Aorists in der Volkssprache über die des Praesens die Oberhand gewinnen."

130) E. g. cf. * 16, 32 ἀφεῖσα (hr. ἀφιεῖσα) * 53, 23 ἀφεῖναι (hr. ἀφιέναι). Cob. VIII 265 corrigi iubet ἐκδομένην 48, 30 in ἐκδιδομένην; non debebat offendere! Obiter moneo in loco † 72, 29 codicis βαστάζων reici forma aoristi βαστάσας quam legimus in Pap. Fay. I col. II 14; quo tempore probato numeri aptius cadunt cf. Heibg. 81. Praeter locum infra pag. 375. tractandum cf. 11, 22. 13, 19. 93, 5. 50, 8. 51, 7.

131) Praeterea cf. Bl.-D. § 444, 3 p. 257. Idem vidi in Nini fab. A II 12 ἀφῖγμαι καὶ εἰς τήν σὴν ὄψιν καὶ εἰς τὰς περιβολάς. Neque est cur offendamus in Charitonis 119, 24 sq. καὶ, ὅσα εἰκὸς ἐν ἀπροσδοκήτῳ πολέμῳ,

τε καὶ γυναικῶν, duplici particula vix videtur esse opus. Etiam de verborum collocatione aliter sentio ac W. Velim consideres ut viros Chaereae ita feminas maximo ardere Callirhoes studio. Atque quod Chaereas solus intrat in contionem cummaxime feminae indignantur. Inde illas priore loco esse commemoratas mihi placet. Accedit alterum, quod plus valet. Praebet chiasmum verborum collocatio Florentina

ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν — πᾶσαι καὶ πάντες, quem fortuna

factum vix equidem crediderim. Adamat noster illam figuram[132]). Minoris momenti est hiatum evitatum esse in F, quem praebent verba Th πᾶσαι ἐπεβόησαν.

† 152, 20 εἰσάγων καὶ τὴν θυγατέρα F — εἰσαγαγὼν τὴν θυγατέρα Th VIII 11

Charitonem aoristi modos in deliciis habere modo vidimus (cf. pag. 374) atque cum nostro loco comparari potest 93, 12 φοβηθεὶς αἰφνίδιον εἰσαγαγεῖν εἰς δικαστήριον. Sed certius habemus argumentum, puto, e quo evadit, ut Thebana lectio superior sit. Quid enim καὶ particula ante τὴν θυγατέρα posita sibi velit, equidem non intellego. Res est eiusmodi: Laudat noster Hermocratem, qui etiam id gratum facit populo[133]), quod filiam inducit in theatrum. Quod satis significatum esse particula καὶ ante τοῦτο collocata mihi persuasi[134]). Inde supervacaneum est alterum καί; neque abhorret a Charitonis usu numeros adhibendi (cf. Heibg. 22) nova lectione accepta choriambum praecedere ditrochaeo εἰσαγαγὼν τὴν θυγατέρα.

† 152, 21 εἰς τὸν οὐρανὸν ἀποβλέψας F et Th VIII 14

καὶ ἐλέγετο καὶ ἐγίνετο (Cob. VIII 296) aut 142, 11 καὶ Στάτειραν ἄγεις εἰς Συρακούσας καὶ Ῥοδογούνην τὴν καλήν; (Nab. 211).

[132]) Cf. supra p. 366 et locos hos: 43, 29: πίστιν γυναικὸς — μητρὸς φιλοστοργίαν. 50, 31 εὗρε τοὺς λίθους κεκινημένους καὶ φανερὰν τὴν εἴσοδον. 88, 31 ἧκον παρὰ Στάτειραν τὴν γυναῖκα τῆς βασιλέως τῶν ἐνδοξοτάτων Περσῶν αἱ γυναῖκες. 94, 27 ἀκροαταὶ τῆς δίκης — Καλλιρόης θεαταί. 99, 15 Μιθριδάτῃ συνέχαιρον, συνελυποῦντο Διονυσίῳ. 115, 27 ἐκ τοῦ τάφου μὲν ἐξῆλθον, οὐκ ἐξάξει δέ με ἐντεῦθεν . . . 115, 31 διὰ σὲ εἰς Βαβυλῶνα ἤχθην — παρέστην δικαστηρίῳ. 155, 13 ἐμὲ δὲ ζῆν οὐκ ἐπίστευεν, ἐπίστευσε δὲ Μιθριδάτην ἐπιβουλεύειν . . . Idem σχῆμα, Luciano misso cf. S I 419, occurrit apud atticistas cf. S I 64. II 284. III 315. IV 520.

[133]) Cui petenti idem nil denegat cf. 5, 9.

[134]) De καὶ particula cf. 98, 29 καὶ τοῦτο μοιχοῦ παράγειν εἰς ὄχλον ἀλλοτρίαν γυναῖκα, ubi non scriptum est καὶ ἀλλοτρίαν γυναῖκα!

Etsi alter codex cum altero consentit, tamen est quod faciamus cum hr, qui ἀποβλέψας in ἀναβλέψας correxit, cui item W 254 adstipulatur. Nunquam aliter quam sic in ea re Graeci videntur esse locuti. Quae inveni exempla sunt haec: Xen. Cyrop. VI 4, 9. [Plat.] Axioch. p. 370ᵇ. Ev. Matth. XIV 19 Marc. VI 41 VII 34. Et ipse Charito p. 51, 13 scripsit verba Χαιρέας δὲ ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανόν. Verum dignum est, quod memoretur utrique codici inesse idem vitium.

152, 23 ἡ τῆς τῶν ἐπινικίων F   ἡ τῶν ἐπινικίων Th VIII 20

Articulum τῆς scribae negligentia omissam esse in Th recte vidit W 250 comparans locum 5, 19 iam a D 634 ad 188, 6 citatum [135]).

152, 23 ἐσχίζοντο F   ἐσχίζετο Th VIII 20

Praefert W 251 Thebani numerum singularem, qui referendus est ad ὁ δῆμος cf. 152, 20. Qui v. d., ut conciliet suae sententiae probabilitatem, comparat locos 91, 3 et 105, 6. Attamen vehementer errat! Talis enim constructio ad sensum quae vocatur attica habebatur cf. Moer. p. 2, neque solum atticistae (cf. S I 101 sq. 248. II 65. III 93. IV 102), sed omnes fere posteriores illam adhibuere [136]). Inde iam non erit mirum Charitonem idem adamasse. Ut exemplis utar, cf. 57, 13 ἐκ δὲ τῆς βουλῆς ὑπέστησαν ἐθελονταὶ τὸ πλεῖστον μέρος et brevi post lin. *20 μέγα μέρος τοῦ πλήθους ἐπηκολούθησαν (ubi hr. immerito induxit numerum singularem cf. D 380 ad 70, 3). 69, 5 ἑώρα λῃστήριον βαρβάρων πῦρ ἐπιφέροντας (cf. D 415 ad 84, 3). 75, 16 ἐκράγεσαν ἄλλος ἄλλοτε. 91, 13 τὸ δὲ πλῆθος ταῖς οἰκείαις φθονοῦσαι τὴν ξένην εὐδοκιμῆσαι συνεύχοντο. Est igitur statuendum atticam structuram, quae eadem Charitonis est, sublatam esse in codice Thebano.

152, 23 et 25 ποτὲ μὲν — ὁτὲ δὲ F   ποτὲ μὲν — ποτὲ δὲ Th VIII 19 et 23

Adverbia correlativa ποτὲ μὲν — ποτὲ δὲ sive ὁτὲ μὲν — ὁτὲ δὲ flagitabat R, quem W 226 secutus Thebani lectionem commendabat. Sed intricatiorem esse diudicatu istam discre-

---

[135]) Obiter moneo simile vitium exstare in codice F p. † 32, 4 ubi O. P. 1019 col. II 34, sq. recte exaravit ὥσπερ ὁ ἐν τῷ σμήνει τῶν μελισσῶν.

[136]) De X. E. conferendus est Loc. 139 ad 9, 1; praeterea Seiler ad Alciphr. III 72, 2 p. 385. Vidi in papyri, quae est de Herpyllide, v. 13 ἑκάτερος ἐμβάντες.

pantiam apparet ex eo, quod vel hr, ad coniecturas et faciendas et recipiendas maxime propensus editor, remisit[137]) quae proposuit R. Ut intellegas, quam sit res ambigua, liceat mihi nonnulla adscribere. Verbis ποτὲ μὲν apud veteres cummaxime respondere ποτὲ δὲ notumst (cf. Thes. VI p. 1529, B); cuius usus exempla occurrunt etiam apud posteriores (cf. Dion. Hal. de Thuc. 15, 1 (845 R). Barnab. X 7 (cf. Bl.-D. § 436 p. 252). Long. 261, 27. 273, 31). Porro scimus locutionem ὁτὲ μὲν — ὁτὲ δὲ adamari a scriptoribus, qui inde ab Aristotelis vixere temporibus (cf. S IV 367. Thes. V p. 2327 D[138])). At velim inspicias Apoll. Rhod. Arg. III 1022 sq., ubi invenis scriptum ἄμφω δ' ἄλλοτε μέν τε κατ' οὔδεος ὄμματ' ἔρειδον | αἰδόμενοι, ὁτὲ δ' αὖτις ἐπὶ σφίσι βάλλον ὀπωπάς; et locum Polyb. VI 20, 8 ubi leguntur haec: τοῦτο δ' ἐστὶν ὁτὲ μὲν εἰς ἕκαστον στρατόπεδον πεζοὶ τετρακισχίλιοι καὶ διακόσιοι, ποτὲ δὲ πεντακισχίλιοι, ἐπειδὰν μείζων τις αὐτοῖς προφαίνηται κίνδυνος[139]). Verum omnes locutiones eiusdem generis, cummaxime apud posteriores, quasi vacillare vides[140]). Inde per se vix est, quod offendamus in Florentini verbis. Tamen cum Florentini cod. auctoritas non sit tanta, ut habeamus, quod credamus illi nostro loco non irrepsisse vitium, diiudicare nolo, utra lectio vera sit.

152, 26 ἥδιον ἦν ἥδιστον ἦν Th VIII 26

Narrat nobis Charito rem sese habere modo ita, ut viri Chaeream, Callirhoen feminae summis efferant laudibus, modo ita, ut uterque simul celebretur ab omnibus. Hoc magis placet coniugibus. Sequitur, ut locutio ἥδιον ἦν eandem fere habeat

---

[137]) Hr. fortasse respexit D 634 ad 188, 6 monentem nihil mutari praestare.

[138]) Addam Barnab. II 4. 5. Simpliciter poni ὁτὲ δὲ, cui non antecesserit ὁτὲ μὲν, in Xen. Cyrop. V 8, 20, Luc. dial. deor. V 2 (I 214 R), aliis adnotat S I 305.

[139]) Quo loco ποτὲ potuit poni, ut hiatus evitaretur.

[140]) Similis licentia inesse videtur loco * 14, 16 ubi traditum est εὗρε δὲ ἐνίους μὲν ἐν πορνείοις, οὓς δὲ ἐν καπηλείοις ubi τοὺς δ' H et hr, qui idem de ἐνίους δὲ cogitabat cf. praef. p. IV. Scimus vel veteres sibi concessisse ὃς μὲν — ὃς δὲ cf. K.-G. II 228, 4^{b}, quem usum etsi apud nostrum non invenis, tamen saepius deprehendis apud alios posteriores (cf. Rad. 62. Bl.-D. § 250 p. 145). E. g. cf. X. E. 364, 6. Quid vero, quod legitur in Actis 17, 18 τινὲς — οἱ δὲ? Nonne Florentini lectio in * 14, 16 potest defendi, cum ἔνιοι pro τινὲς poni posse sciamus (cf. Rad. 63, qui affert Strab. C 651)?

vim, quam habet μᾶλλον εἵλοντο (cf. 145, 9), quae optime quadret ad loci sententiam. Superlativus est certo minus elegans, quod recte sensit W 250.

152, 27 ὡς ἂν ἐκ πλοῦ F ὡς ἐκ πλοῦ Th VIII 27

Nostro loco ἂν particulam abhorrere a veterum usu non fugit Gasdam 21. Verum W 251 errat, putans eiciendam esse illam [141]), non solum propterea, quod saepius noster ita loquitur [142]), sed etiam, quod alii auctores posteriores idem sibi concesserunt [143]), qua de re optime disserit Rad. [144]) p. 166 haec: „am gewöhnlichsten ist ὡς ἂν da, wo es gilt einem kausalen Gedanken subjektive Färbung zu geben." En iterum vides in Th veterum usum substitutum esse licentiae posteriorum.

Iam ad finem pervenimus lectionum percensendarum, nam voce πλοῦ explicit fragmentum Thebanum [145]).

Conclusio.

Multa atque varia sunt, quae e diversis singulorum locorum tractatorum discrepantiis didicimus, atque operae erit pretium summam facere, ut in universum perspiciamus, quae ratio intercedat inter codices F et Th.

I. Primum breviter complectamur eas 25 lectiones codicis Th, quas praeferendas putamus memoriae F.

a) Quinque locis cod. Th genuinas exaravit particulas, cf. I 7 (148, 22) et II 8 (149, 1), ubi deest in F καί, I 16 δή (148, 25 F δέ) I 19 (148, 26) et VII 7 (152, 6) τὲ καὶ (F καί).

---

141) Dicens „ἂν ist zu streichen, da es sich nicht um eine irreale Vorstellung handelt".

142) Cf. 34, 18. 40, 18. 134, 17. 144, 7. 153, 2.

143) E. g. Plut. Dio Prus. N. T. cf. Bl.-D. 453, 3 p. 265.

144) Qui idem conferendus est p. 178, 2.

145) Quod maxime dolendumst, quia sequentia verba καὶ ἀγωνίας εὐθέως ἀσπασαμένην τὴν πατρίδα Herchero duplici modo erant suspecta. Primum desiderat ille post ἀγωνίας participium κεκμηκυῖαν vel simile quid. Quod falsum esse apparet ex praepositione ἐκ, cui hoc loco inest notio, quam reddimus verbis „statim ex", sive „unmittelbar nach", ut nos dicimus (qua de re cf. S III 282). Accedit quod tales verborum formae saepius supprimuntur cf. S IV 111, sq. et Rad. 176 et nostri locum 150, 19 φορτίδας γὰρ οὐ βλέπω ναῦς ἀλλὰ μακρὰς καὶ ὡς ἐκ πολέμου τριήρεις. Praeterea hr εὐθέως depravavit in εὐθύς, quod facere non debuit, cum illud, e Lysiae atque Demosthenis orationibus notum occurrat apud Polybium et atticistas (cf. S I 121. II 112. III 126).

b) Bis meliorem praebet Th verborum collocationem, cf. I 8 (148, 21) οὐδὲν ἠπίστατο (F ἠπ. οὐδ.) et I 28 (148, 30) ἀπάγει Καλλιρόην εἰς Συρακούσας (F K. εἰς Σ. ἀπ.).

c) Rectam orthographiam duorum verborum vides in Th, cf. I 8 (et saepius) 148, 22 Καλλιρόην (F Καλλιρρόην) et VII 14 (**152, 9**) Συρακοσίοις (F Συρρακουσίοις).

d) Sexies desunt in F singula verba, cf. I 14 (148, 25) ἐξ' ἀρχῆς, I 17 (148, 26) μάλιστα, I 21 (148, 27) εἰ, I 24 (**148, 28**) οὕτως, IV 22 (**149, 28**) πολλῶν, VI 14/15 (151, 29) μεταξὺ φερόμενος; de καί bis omisso cf. sub „a".

e) Contrarium vitium bis in F exstat, cf. II 20 (**149, 6**) ἔχειν et VIII 11 (152, 20) καί.

f) Accedunt septem loci, qui in F male leguntur; depravata sunt imprimis * **148, 28** ταραχθείη F (Th I 24 ταραχθῇ), **149, 29** οἰκήσεις F (Th IV 25 εἰκόνας), **151, 30** ἐπεκλύοντο F (ἐπεκυλίοντο Th VI 18), **152, 1** καί F (Th. VI 25 καλλίων). Praeterea rectum praebet Th VI, 6 ἄργυρον (**152, 6** ἀργύριον F); quibus adde I 15 (148, 25) ἅπαντα Th (πάντα F). VII 3 (152, 5) φησίν Th, (ἔφη F). VIII 11 (152, 20) εἰσαγαγὼν Th (εἰσάγων F).

Quarum 25 lectionum 8 coniectura erant inventae [146]), quibus accedit nona, quam in F falsam esse traditam viderat Cobetus (148, 28). Praeterea dignum est, quod attendatur codicem Th congruere cum codice F quinque locis, quos iniuria viri docti in suspicionem vocaverunt cf. IV 1 (* 149, 20 articulum del. hr.), IV 1 (149, 21 ἀναπείθει. Jak.: ἀναπείθεται), V 14/15 ἐπικαταπλεῖ ταῖς ἄλλαις τριήρεσιν (* 151, 18 hr. σὺν inseruit), V 25 sq. καὶ ἦν ἐκεῖνο τὸ σχῆμα τὸ μετὰ τὴν ναυμαχίαν τὴν 'Αττικήν (151, 22 sq. Nab. Schmidt.), VI 9 ἀπὸ (* 151, 20 R. hr. ἐπί).

II. D e i n d e a g e n d u m est de c o d i c i s T h p r a v i s l e c t i o n i b u s, quarum numerum multo esse maiorem dilucide monstravimus. Etsi non habemus, quod illas singulas repetamus, tamen operae erit pretium perlustrare gravissimas, ut elucescat, qua via quaque ratione ortus sit verborum contextus codicis Th. Atque puto e varietate discrepantiarum certo certius evadere, ut non fuerit unus atque idem, cui debentur ea, quae

[146]) Quos locos crassis numeris significavi.

vidit Wilckenii acumen in palimpsesto. Immo si non plurium certe duarum manuum vestigia satis aperte perspiciuntur.

a) Primum afferendi sunt loci, quibus mera neglegentia nonnulla exciderunt verba, e. g. cf. II 11 (149, 2 εἰς ἐμέ), IV 19 (149, 27 εἰς Ἰωνίαν μέγα), VI 2 (151, 28 παρ' ἀμφοτέρων), VIII 2 (152, 16 λόγου θᾶττον). Accedunt gravissimi illi duo loci (III 11 sqq., IV 4 sqq.) quibus eadem scribae incuria effectum est, ut alia multa retractarentur [147]. Similem esse rem in tertio loco (V. init.) supra pag. 363 exposuimus.

b) Deinde sunt commemorandi loci, quos nescio quis librarius consulto immutavit.

1. Primum complura invenimus intercalata quae, cum neque ad stilum nostri neque ad totius fabulae compositionem quadrent, non possunt probari obstante Wilckenio [148]. Interpolationes, quae insunt columnae tertiae atque quartae, mittimus (cf. supra pag. 351 sq. et 359). Immo sat est conferre locos hos: V 7 sqq. cum 151, 15 sq., V 21 sq. cum 151, 21, VI 9 cum 151, 27, VII 16 sq. cum 152, 10.

2. At maior est numerus locorum eorum, quibus Charitonis genus dicendi transformatum esse videmus. Multas locutiones nec non structuras, quas temporum seriorum Graecitatis proprias esse notumst, ad veterum rationes immutatas esse neminem, puto, fugerit. Ut exemplis utar: invenis II 17 articulum insertum (cf. 149, 4), III 20 σοῦ scriptum pro σοὶ (cf. 149, 18), V 8 ἢ suppressum ante καί (cf. 151, 15), VIII 1/2 temporis praesentis infinitivos βλέπειν καὶ ἀκούειν loco aoristi ἰδεῖν

---

147) Fere idem videtur sensisse de illis locis doct. Wilamowitz, qui l. c. 33 disserit haec: „Wilcken hat freilich auf zwei Stellen hin, wo die Abweichung etwas tiefer geht, von einer doppelten Rezension geredet; allein es handelt sich beide Male nur um Auslassungen und dadurch bedingte Aenderungen.“

148) Cum eis, quae exposuit W 251: „Vielmehr haben überall die volleren Formen sich als sinngemäß, oft als notwendig und vielfach auch durch Parallelen als gut charitonisch erweisen lassen, während die kürzere Form sich deutlich durch ungeschickte Handhabung der Sprache, durch Schaffung sachlicher Lücken und andere Zeichen jüngerer Bearbeitung als nicht originell verrieten“ pugnant eiusdem verba p. 249 prolata (ubi res est de IV 19 sq., cf. supra p. 360): „Daß der Schreiber vom Th — jedenfalls an dieser Stelle — keine Lust zum Erklären und Interpolieren gehabt hat.“

καὶ ἀκοῦσαι (cf. 152, 15/16) positos, VIII 20 numerum singularem ἐσχίζετο plurali ἐσχίζοντο substitutum (cf. 152, 23), VIII 27 ἄν particulam omissam in locutione ὡς ἄν (cf. 152, 27). Simili modo stilum Charitoneum plane neglectum esse demonstrent loci hi: Non minus quam ter (II 13—16 cf. p. 149, 4; VII 9—13 cf. p. 152, 7 sq.; VIII 2—5 cf. p. 152, 16) subordinatio substituitur coordinationi; I 26 ἀκούειν coniungitur cum accusativo (cf. 148, 29, cum noster in talibus locutionibus genetivum praetulerit); inepte transponitur ἄν particula II 9 (cf. 149, 1), quod idem cadit in ἐμός III 18 (cf. 149, 17) et V 12 sq. ἐξεχεῖτο, ubi insuper compositum vix Charitonis est (cf. 151, 17); ponitur II 27 verbum compositum ἐπιδιδόναι ad vicem simplicis (cf. 149, 8). E quibus exemplis, autumo, evadit, ut non tam prudenter quam consulto retractata sint verba Charitonea. Etsi haud multum habet ponderis, nolim praetermittere in codice Th plures exstare hiatus (e. g. cf. III 15 cum 149, 16; VIII 7 cum 152, 28) quam in codice F.

III. Tertium, quod est gravissimum: c o n a m i n a W i l c k e n i i, q u i u b i n e q u e F n e q u e T h g e n u i n a p r a e b e n t v e r b a, e x u t r a q u e m e m o r i a i p s i u s C h a r i t o n i s m a n u m r e d i n t r e g r a r e v o l u i t, a d i r r i t u m c a d e r e confido me demonstravisse.

I. Index rerum*).

*) Numeri spectant ad Philologi vol. LXXVIII (n. s. XXXII) paginas 330 sqq.

II. Index verborum.

III. Index locorum praeter columnas Thebanas tractatorum.

Vita.

Natus sum Hermannus Franciscus Zimmermann anni proximi saeculi XCI ante diem XV Kal. Mart. Mauricidorpii in vico Saxoniae prope Regipontem sito patre Ottone matre Luisa e gente Reusner, quos adhuc vivos colo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis Koetzschenbrodae et Dresdae imbutus frequentavi per novem annos gymnasium regium Dresdense, cui primum Wohlrab †, tum Friedrich praeerat. Vere anni h. s. X maturitatis testimonium adeptus in numerum civium academiae Lipsiensis referendum me curavi philologiae classicae et historiae incubiturus. Docuerunt me viri doctissimi Barth (†), Beloch, Bethe, Birch-Hirschfeld †, Brandenburg, Brugmann †, Frenzel, Gardthausen, Goetz, Heinze, Herre, Jungmann, Keil †, Koerte, Kromayer, Lamprecht †, Lipsius (†), Martini, Schreiber †, Schulz, Seeliger (†), Sievers, Spranger, Studniczka, Suess, Thieme, Volkelt, Wilcken, Wundt (†). Proseminarii philologici I et II interfui Betheo, Heinzeo moderantibus Deinde Bethei, Heinzei, Koertei, Lipsii auspiciis seminarii philologici sodalis fui per tria semestria, per bina ordinarius. Praeterea benigne receperunt me in seminarium archaeologicum Studniczka, in historicum Beloch, Herre, Kromayer, Seeliger. Wilcken, in paedagogicum Jungmann.

Quibus praeceptoribus omnibus gratias ago quam maximas semperque agam. Imprimis Ricardum Heinze atque Alfredum Koerte, studiorum meorum fautores, benevolentissimo gratissomoque semper colam animo. Neque minora debeo Edgaro Martini, qui inde ab autumno h. s. XVI ornavit me munere famuli et privatim mea studia fovit.

Restat, ut disertis affirmem verbis gratissimum mihi factum esse ab Alberto Rehm, qui hanc dissertationem Philologi vol. LXXVIII libentissimo inseruit animo.